
















XXX
LIMN

DISSERTATIO
APOLOGETICA


De
Statu Imperij Romano Germanici,
Scripta
a
JOHANNE LIMNAEO.





Onolsbacl
Typis Christophori Laueri.

Anno M. DC. XXXXIII.




POstquam, aliquot antè annos, certior redditus, versari Regiomonti non neminem ex literatis, qui adversus lucubrationes meas calamum acueret, animum ad pugnam armare festinavi: Et steti postea in procinctu, spem intra metumq; Nec enim de adversarij nomine, aut viribus, quicquam certi, an cum gigante, pumilione, aut medij status athleta, certandum foret, sorti relictum. Ut primum autem catalogus librorum, nundinarum Francofurdensium, ANNO 1642. nomen, conditionem atque conatum mihi aperuit, cognovi ex luctatore judicem factum. Statim igitur sententiæ tabulas quæsitum jre perrexi: sed fortuna diligentiam meam haud semel elusit, Donec Amplissimus & Consultissimus Vir, Nicolaus Rittershusius, amicus meus, ex Nobilissima Academia Altorphina, ubi Antecessor cluit, quas petieram, communicavit. Atque tum primum unde reus, & cur sententiam passus essem, mihi innotuit. Hæsi aliquantisper, dubius quid ê re mea. Judicis nomen, Tituli, & potestas, silentium imperare videbantur: contra sententiæ iniquitas, & nullitates, animum ad impugnandum erigebant. Cujus tandem ductum secutus, quantum mihi per negotia Spartæ meæ otij relictum, in examen sententiæ impendere cœpi. Jllud, nunc ad calcem perductum, in lucem dare, atq; publicæ censuræ submittere volui. Fallor aut famam meam â labe vindicavi, simulq; officium gratum, & utile Studiosæ juventuti præstiti; imprimis ex ea illis, qui majestatem Prætoris nostri admirati sunt.

Cognoscent enim illum jus hactenus reddidisse, eo sensu, quem Jctus in l. ult. ff. d. l. & l. explicat. Reliqui verò, & pariter omnes, discent vitare tribunal, quod dat, dicit, addicit, perverso affectu.

Cœterùm placuit mihi sententiam, & ejusdem examen sequentibus pagellis junctim, & simul exhibere; ut contraria juxta se posita magis elucescerent; ut bona fides, quam adhibui, facilius inclaresceret; deniq; ut Lectori utrumque brevi compagine, ad manus esset. Valete & favete. Scripsi Onoltzbaci Anno salutis 1643. 30. April.

Joh: Limnæus.



De

Status & Administrationis Imperij Romani formâ hodiernâ

DISCURSUS,


In quo

Vera sententia breviter asseritur; Dn. D. THEODORI REINKINGII opinio defenditur; Dn. JOHANNIS LIMNAEI verò rejicitur,

Institutus

à

VVILHELMO Wittendorff, S.S. Theol. Licent Pastore, Superintend. & Canonico Bardowicense.



MAGNIFICO & GENEROSO

DN. GEORGIO

HILMARO à Weysse Reverendiss. & Illustrissimi Principis CHRISTIANI, Ducis Brunswicensis & Lunæburgensis felicissimæ recordationis Consiliario intimo, eminentissimo, Præfecto Bodendicensi gravissimo, Hæreditario in Hollenstedt/ etc.

Patrono meo Magno,




Vir Magnifice & Generose,

CUM Regiomonti publicè Politica profiterer, & viros Nobiles studiorum gratiâ ex Germaniâ eò missos illis apprimè delectari deprehenderem: non tantùm generalia proponenda, sed ad specialiora, Statum cumprimis & Regimen Imperij Romani concernentia progrediendum duxi. Conscribebam itaque totius Iuris Publici compendium, eâ methodo, secundum quam omnia Practica disponi debent, excerpebamq; & ad disputandum publicè exhibebam illas materias, quæ & in se insigniores & in communi usu frequentiores esse videbantur. Harum autem omnium fundamentum est Majestas, Majestatis jura, eorumdem communicatio, & inde fluens tum status, tum administrationis Forma. De quo puncto gravissimi nostri seculi Autores, Politici juxta ac juris Consulti celeberrimi, Domini D. THEODORUS REINKINGIUS, & D. IOHANNES LIMNÆUS, planè inter se dissentiunt & opinionibus contradictoriè oppositis disputant. Vrgebar à Studiosis ut argumenta horum Autorum conferrem, & quæ ex illis validiora, monstrarem. Quæ caussa erat, cur ex fundamento hac tractarem, & Dn. LIMNÆI sententiam rejiciendam- Dn. REINKINGI verò retinendam judicarem. In quam rem tres exhibebam disputationes publicas, quarum exemplaria cùm penitus distracta; rogor, ut eorum gratiâ, qui ad ejusmodi studia animum applicant, denuò meam mentem exponam judiciumq; (quantum labores Ecclesiastici permittunt) communicem. Paucis proinde pagellis volui honestis petitis satisfacere, easq; Vestræ Magnificentiæ inscribere, quas ut benignè recipiat, & inter suarum virtutum Cultores & Admiratores me numeret, unicè oro. Valeat Vestra Magnific. diutissimè & bono publico feliciter perennet! Bardovvici 10. Decemb. Anno 1641.

Generositati V.
addictissimus
Wilhelm Witzendorff.



CONCLUSIO I.



IMperii Romani hodierni administratio non æstimanda est ex administratione Imperatorum priorum seculorum, sed ex Constitutionibus & Actionibus hodiernis.

Hoc enim præcipuè quæritur; *Utrum ab antiqua consuetudine Monarchia Romana nihil demutaverint, tot, qui præter lapsi sunt, anni?*

Hic consideranda est mutatio tum *Modi*, quo Imperatores ad gubernacula ascenderunt; tum *Iurium & Legum*.

Quod prius attinet, Imperium Romanum ab initio hæreditarium fuisse videtur; *Augustus* enim à *Iulio Cæsare* Testamento fuit institutus; Hic rursus *Tiberium*, *Tiberius Caligulam Hæredem Regni reliquit*.

Cæso *Caligulà* jus Electionis principium habuit, & quandoq; à Senatu, quandoq; à Populo electus fuit Imperator; quandoque etiam ex Imperatorum voluntate.

Translato ad Germanos Imperio in *Caroli M.* stirpe hæreditarium planè fuit Imperium, usque ad tempora Cunradi I. *Ducis Franconiæ*, qui extinctâ stirpe *Carolina* (*Ludovicus enim* IV. excessu suo *Carolinam* familiam in Germania terminavit) per *Ottonem Saxonem*, ad quem Germanorum Consensu rerum summa deferebatur,

assentiente

assentiente *Hattone Moguntino*, pura electione creatus fuit: quamvis non desint, qui existimant *Conradum* novissimum fuisse ex stirpe *Carolina*, ut videre est apud *Carion. in Chro. in vita Cunradi & Genealog. Caroli M.*

Quicquid olim fuerit, hodie Imperium non successione sed electione defertur, vi A. B. Caroli iv. tit. 1. & 2.

Cæterum *Iurium & Legum* Imperij nostri *mutatio* in eo potissimum momento quærenda est, quo invaluit autoritas *Electorum* Quantum enim absolutæ Imperatoris potestati detractum fuit, tantum accrevit Electorali & reliquorum Principum. cum ea sit conditio Principatuum qui per electionem deferuntur, ut potestas eorum subinde arctioribus cancellis circumscribatur.

Electoratus autem initium ad quod momentum referendum sit, apud Historicos variè disputatur. Nos de illo in ultima ex professo agemus conclusione.

Conclusio, II.

Imperij Romani hodierni status probe distinguendus est à modo administrationis.

Status respicit ipsam Reip. essentiam: *Modus* autem *administrandi* qualitatem tantum. Jam verò nulla accidentalis forma, addit Essentiæ entitatem simpliciter, sed talem entitatem, *Scal. exerc. 307. s. 72.*

Status autem derivandus est à Majestate, intuitu numeri Imperantiũ considerata. Si itaque penes unum est Majestas, status dicitur Monarchicus, non obstante administratione rationibus aristocraticis temperata.

Quæ ut eò facilius capiantur, distinguendum est *cum Nobilissimo Dn. Arumæo in discurs. Iur. Pub. 7.* quem omnium rectissimè in hac materia statuere arbitror, inter Majestatis *formam* & ejus *effecta* [quæ nihil aliud, quam tesseræ supremæ Potestatis sunt] quæ ubicunque ponitur Majestas, poni necesse est. at non, ubi illa sunt, & Majestatem poni consequens est. Ipsa Majestas est incommunicabilis; effecta verò Majestatis, ut extrema provocatio, jus monetæ cudendæ &c.

possunt communicari absq; Majestate. Posita extrema provocatione, aliisq; Juribus Majestatis, non illicò ponitur Majestas; sed posita Majestate Jura quoque Majestatis poni necesse est, quæ sine his esse nequit, hæc verò sine illa optimè. Qui enim Majestas, quæ est unica & summa atque adeò individua, non secus ac unitas, communicari poterit, ut tamen maneat unica & summa? summa enim potestas si penes plures divisim dicatur, summa esse nequit. *Dicit quidem Limnæus Vir alias in Iure publ. versatissimus l. 1. Iur. publ. c. 10. §. 45. distinguendum hic esse ex Metaphysicis inter indivisibilia & indivisa: quorum illa ob simplicitatem suam divisionem respuunt, hæc cum sint ex partibus conflata, licet quà sunt, unum sunt.* i. e *indivisa, tamen divisio illis non repugnat. Sub hac classe (inquit) consistit etiam Majestas, quæ simul sumta unà cum suis partibus unum quid constituit, quod est totum potentiale, quod vocant indivisum. Ideoq; pluribus in Rep. tribui non potest. Nihil tamen prohibet, quin partes in hoc toto unitæ secerni & divisim inter plures distribui possint. Alia enim potestas est creare Magistratus, alia jubere leges, alia ducere bellum &c.* Verùm quis non videt, *Dn. Limnæum* confundere Jura Majestatis cum ipsa Majestate. Majestas est non tantum indivisa sed & indivisibilis, Majestas enim est summa potestas, quæ penes plures si sit divisim, jam non amplius in Monarcha summa erit, utpote quæ ad alios respectum divisim haberet. Jura autem Majestatis, quæ ejus non sunt partes constituentes sed effecta dividi & communicari possunt. Minus rectè proinde *D. Limnæus* applicat distinctionem illam Metaphysicam, cùm non rectè distinguat inter Majestatem & ejus Jura: quod patet ex *Limnæi* verbis ultimo loco adductis.

Quamvis itaque multa Majestatis jura communicaverit Imperator cum Statibus Imperij, adeò ut ea non nisi cum assensu & consensu Statuum exercere possit, ut videre est ex Capitulat. *Cæsarea & Clausula in Imperij Recessibus usitatissima*, Darüber wir vns mit jhnen/vnd sie hinwider sich mit vns verglichen: Monarchica tamen Majestas non est communicata.

Valeat igitur *Iohannes Limnæus*, qui accuratam hanc distinctionem irridendo *Dn. Theod. Reinkingium* stringere conatur. *Lib. 1. Iur. Pub. c. 10. §. 13.* Videbimus autem, num tanti momenti sint, quæ

affert

affert, ut hæc nostra distinctio dubia & suspecta reddatur. *Antequam, inquit ulterius progrediar, nolim suspenso examine distinctionem, quam inter statum & administrationem comminiscuntur, relinquere. Scribit Bodinus lib. 2. de Rep. c. 2. observandum esse, quod status Reip. longè differat ab administratione ejusdem, hocq; neminem ante se observasse, indeque posse usu venire, ut status detur Regius, cuius Administratio sit Popularis. Hanc crambem coquit & recoquit aliquoties postea d. lib. 2. c. 7. lib. 6. c. 6. & alibi. Ego ab ea statim ætate, qua occepi politico me addicere studio & lectioni Bodinianæ accingere, suspectam habui distinctionem istam, deniq; post aliquos soles occiduos & rdivivos confirmata & aucta suspicio, duce Italico scriptore; Fabio Albergate in discursibus politicis Bodino oppositis lib. 2. c. 10. pag. 185. Cujus præstat adjicere verba communem in usum: Cum administratio sit actio administrantis, clarum est conformem esse debere naturæ ejusdem Nam sit talis non existeret, utiq; eam non perficeret, ut pro volunta te agit. propriam enim præceps rueret in necem. Ac quoniam illa operatio est maximè præ aliis agenti conveniens, quæ ex forma originem trahit, utpote cujus proprium se ipsam conservare, quælibet administratio naturæ administrantis conveniens, & propria forma esse debebit, cumq; id, quod proprium est & immediatè dependet à forma rei, cum eá convertatur; ut dicens visibile, (risibile voluit dicere) necessariò intelligat animal rationale, & vice versa hoc promens, simul illud designet, consequens est, omnem administrationem conformem esse Reip. ut posita tali administratione, poni consimilem Remp. posita tali Rep. poni æqualem admintstrationem.*

Respondemus 1. nos illam distinctionem pro bona & proba agnoscere quamvis eam nō tàm laté extendamus [in applicatione ad nostrum Imperium Romanum) quam *Bodinus*, Statuimus enim non plané oppositā esse administrationem ipsi statui. Ideoque Sratus potest esse purè Monarchicus propter Majestatem incommunicabilem: Administratiò etiam *Monarchica* licet nonnullis rationibus Aristocraticis sit temperara, ut demonstrabimus *in sequentibus.*

Quibus præmissis, *Itali* Discursus potius pro nostra sententia facit. Acceptamus enim, Administrationem debere esse conformem Administranti. Iam notum est quod Administratio non sit absolutè Imperatoris, sed ex parte etiam Electorum; quod patet ex variis Elogiis,

quibus ornantur *in A.B.* cum primis *extit* 26. § Wen aber/ꝛc. ubi *Carolus* ait Illustrissimos Electores plurimis necessitatibus relevandis Cæsareæ, sublimitati sic assistere, ut in partem *sollicitudinis* constituti reperiantur. Unde principales dicuntur Imperij columnæ. Maximè verò Electorum dignitas conspicitur *in decreto illo Cæsareo de dato* 27. *Iuli, Anno* 1590. cui sequentia verba inserta se vidisse scribit *Heinricus Bruning.* Daß der Churfürsten Hoheit vnd Autoritæt mit eines Römischen Kaysers Gewalt vnd Hoheit/daher sie auch fleust/dermassen verbunden / daß eine ohne die ander nicht verschmälert werden / auch ohn die ander nicht bestehen kan / ja daß die höchste Würde der Churfürsten / damit sie für andern Königen vnd Potentaten / gezieret / eben diese ist / daß sie einen Römischen Kayser/dessen Hoheit/Autorität vnd Gewalt alle andern übertrifft/von der auch alle ander herfleust/zu wehlen haben.

Quapropter rectissimè inferemus ex hoc *Itali* discursu in sequentibus Administrationem dicendam esse Monarchicam Aristocraticè temperatam, quoniam Electores participant de Iuribus Majestatis quorum vi administratio perficitur.

Sed inde nondum sequitur, Ergo Status Reip. est diversus ab administratione; sed hoc tantum sequitur: Ergo administratio est denominanda à præcipuo administrante: quod etiam nostrum fundamentum erit inferiùs, quando contra *Limnæum* probaturi sumus, Monarchiam in admitistratione Imperij Romani prævalere.

CONCLUSIO III.

Imperij Romani hodierni Status non est mixtus, quamvis administratio sit mixta.

Majestatem ut summam & unicam potestatem non esse communicabilem & per conseq. nec miscibilem ex præcedente potest intelligi Conclusione. Cum itaque de Statu Reipubl. secundum Majestatem quoad numerum Imperantium consideratam sit Iudicandum; facilè colligitur, impossibile esse ut Status misceatur.

Quæ proinde à Cl. *Dn. Arnisæo* & ab aliis pro mixtione Reip. disputantur, ad Administrationem potius referenda sunt.

Ibi

Ibi distinguere solent *Autores* inter mixtionē *Apparentem* & *Veram*.

Apparentem eam dicunt, quæ ad simplicem Rempub. aliquid alieni leviter admiscet, non tamen tale aut tantum, ut simplicis formam tollat: quomodo mixtum putatur Regnum *Galliæ*, *Angliæ*, & *Hispaniæ*.

Veram mixtionem Reipubl. ita definiunt, qua tres Rerumpubl. formæ ita permiscentur, ut incertum relinquatur, quo nomine Resp. illa denominari debeat.

Declarant hanc mixtionem *Simili* ab Elementis desumto. Quēadmodum, inquiunt, non quælibet Elementorum vel alteratio vel confusio, sed tantùm ejusmodi coalitus, in quo formæ Elementorum ita franguntur, & minuuntur, at in tertiū quandā à simplicibus planè diversam desinant, mixtum corpus efficit *l. 1. de gener. & corr. c.* 10. sic neque quælibet Rerumpubl. vel alteratio vel confusio statim mixtū facit Imperium, sed ejusmodi tantum, ubi ipsæ formæ accuratè hactenus distinctæ ita permiscentur, ut in tertiam & à simplicibus distinctam abeat.

Verum enim vero, salvo *Clarissimorum Virorum* judicio, non video, quomodo talis mixtîo iu ulla Repub. mihi monstrari possit.

Lacedæmoniorum quidem Resp. adduci solet exempli loco, sed definitionem Reip. verè & propriè mixtæ, prout ab Autoribus formata fuit, ad illam Rempubl. applicari non posse, penitus mihi persuasum habeo.

Ecce enim Reges in illâ Republ. nulla Majestatis Jura usurparunt, nomine veriùs, quàm Jmperio Reges existentes. 2. Nec dignitas Regum communem sortem tantopere superabat *Teste Sansovino l. 6. de Repu.* cùm primo loco accumbere, duplum sibi capere, publico planctu sepeliri, totam ferè dignitatem eorum retulerit *Herod l. 6.* 3. *In cæteris* subjecti fuerunt Ephoris & Legibus. Singulis namque mensibus jurarunt Ephoris ex præscripto Legum se omnia gubernaturos *Arist. 3. Pol. c.* 10. Ephori autem constituti (ut obiter hoc inseramus) erant, ut Reges in officio continerent, ad normam Legum Reges se moderaturos & civitatem gnaviter conservaturos, *Xenoph. de Rep. Laced.* unde quoque à cæteris *Magistratibus* ad Ephoros *provocabatur Aristo. 2. Pol. c. 7.* Quia verò viginti octo senes ex Opti-

 matibus

matibus electi, & jura nonnulla Senatui propria fuêre, nempe potestas per totam vitam decernendi, potestas quævis largiendi, omnia gratificandi in nonnullis etiam de vita & morte judicandi, *Arist, 2. Pol. c. 7. & 4* rectè dicetur, in administratione illa Aristocratiam cum Democratiâ temperatâ fuisse, ita tamen ut prævaluerit Democratia.

Conclusio IV.

Imperij Romani hodierni Status non est Aristocraticus.

Pro hac Conclusione ita Argumentâmur: Aristocratica Resp. est Resp. in qua penes paucos ex æquo est summa potestas: Atqui Resp. Romana hodierna non est Resp. in qua penes paucos ex æquo summa est potestas: Ergo Respubl. Rom. hodierna non est Aristocratica Resp. Major est certa ex definitione ipsius Bodini, Aristocratiam Romano Imperio adscribentis *l. 2. c. 1. in pr. de Rep. Clapmar. l. 5. de Arcan. Rerump.*

Minor etiam firma est. Principes enim & Imperij ordines æqualem cum Imperatore non habent Potestatem.

Probatur I. quia solus Imperator de feudis immediatè Imperio subjectis cognoscit, ita quidem ut vacante Imperio *Palatinus & Saxo* de iis cognoscendi facultatem non habeant *A. Bul. tit. 5.* §. außgenommen der Fahnlehn.

II. Solus Imperator, Principes, Duces, Barones, Marchiones in Imperio, solusque hos de majoribus & Regalem dignitatem annexam habentibus Feudis investiendi & justa de causa devestiendi jus habet, quemadmodum patet ex *A. B. tit. 5. & R. A. de anno 1521.* zu Wormbs.

III Quia omnes Imperij Status Imperatori tanquam Domino & summo Magistratui debent obedientiam & subjectionem R. A. de Anno 1521. Ordnung deß Landtfriedens zu Wormbs sub tit. Handhabung des Friedens §. Darauff befehlen / ibid. vnd bey Gehorsamb: & in Constit. eadem subtit. Welche vmb Friedebruchs willen / §. Vnd darauff / ibid. vnd bey Gehorsamb. Et suæ Majestatis sine hæsitatione subjectissimos se omnes in subscriptionibus literarum & supplicationum ultrò fatentur, *vid. Syring de Pac. Relig. Concl. 14.*

IV. Qui

IV. Quia Principes & Status Imperij præstant homagiū non tantùm fidelitatis, sed & SUBIECTIONIS; uti apparet ex formula juramenti: Dem Römischen Kayser und dem Reich trew, hold/ NB. gehorsam zu seyn quam refert Waremund ab Ehrenberg, lib. 2. de fœderib. c. 1. sub. n. 161. § 7.

Adhibet hoc argumentum etiam *D. Theo. Reinking. in suo Iure. Pub* sed *Dn. Limnaus l. 2. c. 10. §. 50.* respondet, Status Imperii verius dici Vasallos IMPERII, quàm IMPERATORIS. Quem in finem citat antea adductam formulam jurandi, inquiens: Ita enim jurant: Den Römischen Kayser und dem Reich trew hold und gehorsam zu seyn. *Et passim (inquit) dicuntur:* Unser und deß Reiches Unterthanen R. A. *de Anno.* 1561. *in pr.* & paulò post ibid. *hæc (pergit) accuratius declarantur per verba* Darauff befehlen wir/ ꝛc. bey den Ayden und Pflichten/ die Ihr uns/ von deß Reichs wegen in sonderheit gethan lunge Landfriede zu Wormbs auffgerichtet Anno 1595. tit. Welche umb Friedebruchs willen. Et R. A. *de Anno* 1530. *ibid.* Als wie einem jedem unsere und deß Reichs Ungnade. *Plures texius allegatos vide apud ipsum Limnaum loco citat. §, 8.*

Miror tam doctum virum non advertere, in omnibus illis dispositionibus allegatarum Constitutionum Imperatorem COPULATIVE conjungi cum Imperio imò N. B. *præponi.* Et hoc non tantum invenitur in Constitutionibus illis dictis ubi præsens fuit Imperator, sed & in illis, quæ consignatæ sunt ab ipsis Statibus Imperij absente Imperatore, *Vide* R. A. *de Anno* 1525. *circa finem principij &* R. A. zu Eßlingen *de Anno* 1526. *in pr. ibid.* und also mit Fleiß und Trewen thun und handeln sollen/ als sie der Kayser. Mayest. und dem H. Reich verwand und schuldig seind *& ibid. in §.* nach dem *cum multis similibus.*

Et per Deum immortalem quæ nam hæc consequentia? Status Imperij ita jurant: Dem Römischen Kayser und dem Reiche hold und gehorsam zu seyn: Ergo Status sunt Vasalli non Imperatoris sed Imperij: quis non videt, absurdam imò iniquam hanc esse oppositionem, pro qua debuisset poni Copulatio & conjunctio? Sed res per se clara est & cuivis perspicua.

CONCLUSIO. *V.*

Status Imperij Roma. Hodierni est purè Monarchicus

Pro hac conclusione ita argumentamur; In qua Rep. *Majestas* tantùm

tantùm penes unum residet, illius Reipub. Status est purè *Monarchi-*
cus: Atqui in Rep. Rom. *Majestas* penes unum (Imperatorem) tan-
tùm residet. Ergo Reip. Rom. Status est purè *Monarchicus*.

Major est ab ipsa essentia & formali ratione *Monarchiæ* desumta.
Minor probatur hoc Syllogismo: Quicunque in aliqua Rep. solus
habet plenitudinem potestatis, apud illum tantùm residet *Majestas*,
Atqui Imperator in Rep. Romana hodierna solus habet plenitudi-
nem potestatis: Ergo apud Jmperatorem tantùm residet *Majestas*.
Major est certa: siquidem plenitudo potestatis est ipsa formalis ratio
Majestatis, & quandoque pro ipsa *Majestate* ponitur, ut patet *ex novis-*
mis Imperij Constitutionibus Die Römische Kays. Macht vnd Vollkom-
menheit. *A. B. tit. 3.* R. A. zu Speyer *de Anno* 1529. *sub tit* Kaysl. *Constitu-*
tion, Wie Bruder vñ Schwester-Kinder. *Et sub. tit. Constitution* wider die
Widertäuffer §. Hoch vnd Ehrwürdige R. A. zu Augspurg *de Anno*. 1530.
§. Nach dem auch. Cui itaque soli alicujus rei formalis ratio & essen-
tia competit; Jlli etiam soli competit illa res. *Minor* probatur *ex con-*
sueta illâ clausula Auß Römischer Kayserli. Macht vnd Vollkommen-
heit, in Rescript & Recessibus Imperij sæpe occurrente, qua etiam Im-
perator gravissimam illam controversiam, die geistliche Freystellung be-
langende, diremit: sicut videre est ex *Supplicatione* der Chur- vnd Fürsten
der Augspurgischen *Confession* Verwandt/ quæ extat *n*. 17. In Johann
Casimirs Pfaltzgraffen bey Rein Außschreiben/ *Anno* 1583.

Nam etsi Protestantes gravissimas rationes allegarent depreca-
renturque ne *Recessui Imperij Anno* 1555. clausula illa: Wenn ein Ertzbi-
schof/ Bischof/ Prælat, oder ein ander geistliches Standes von der alten
Religion abtretẽ würde/ daß derselbe sein Ertzbischofftumb/ Bistumb/ Præ-
latur/ vnd andere beneficia, auch damit alle Früchte vnd Einkommen/ so
er davon gehabt/ alsbald ohn einige Widerung vnd Verzug/ jedoch seinen
Ehrẽ vnnachtheiligen/ verlassen soll. insereretur; attamẽ cùm *Ferdinan-*
dus Rex Rom. à sententia dimoveri nõ posset, supplicantes suæ prote-
stationi hæc verba inserverunt: Da aber Ewer Königl. Maiest. ic auff ob-
bemelter ihrer *Resolution* beruhen / Diese vnd andere Ihrer Chur. vnd F.
G. hochbewegende vnd dringende Vrsachen / sich davon nicht abwenden
lassen wollen/ sondern diesen Articul derogestolt/ Wie er von E. Kön. May.
gesetzt/ an statt auff Heimstellung vnd habender Gewalt/ auch Vollkom-
menheit

menheit der Keyserl. Mayest. unsers allergnädigsten Herren/und also von wegen jhres obliegenden Ampts und vor sich selbst zuverordnen endlich entschlossen. So wissen Jhre Chur. und Fürstl. Gn. Ew Königl. Mayest. über beschehene unterthänige Bitte und Vorwendung hierein kein Form oder Maß zu setzen/ꝛc. Cum ergo Jmperator plenitudinem, seu plenariam Potestatem, ETIAM INVITIS Electoribus & Principibus exerceat, MAJESTAS apud illum Solū residet: plenitudo quippe potestatis omnem aversatur restrictionem, & cùm ea uti vult kan also dann jhrer Königl. Mayest. kein Form oder Maß / uti fatentur Electores & Principes, in dicta Supplicatione, gesetzt werden.

Huic nostro argumento obstare videtur, quod *Limnaus habet in Iure publ. l. 1. c. 10. §. 28. Secundum ordinationes Imperij apud Jmperatorem suprema & libera potestas non residet, neque is jura omnia Majestatis solus habet, aut per se exercere potest sine Procerum assensu. Non enim I. Bellum indicere, non fœdera cum exteris ferire, inconsultis aut dissentientibus Proceribus potest. Sic enim habetur in Caroli V. capitulatione apud Sleid. lib. 1. sub. fin. Cum vicinis alijsq́ Regibus pacem & amicitiam colat, neq́ pro rebus Jmperij, nisi de Ordinum omnium, præcipuè Septemvirorum voluntate bellum suscipiat.* Et paulò antè: *De rebus Imperij nullum fædus aut pactum faciat cum externis, nisi de Septemvirorum assensu. Quod quidem novum non est, sed & ante hanc capitulationem constitutum extitit.* Jn der Handhabung deß Friedens / Rechtens und der Ordnung zu Wormbs auffgerichtet *Anno 1495. tit.* Die Königl. Mayest. sol/ꝛc. *ibid.* Auch sollen Wir / und unser lieber Sohn Ertzhertzog Philips/auch unsere Churfürsten / Fürsten und Stände deß Reichs/ ohne Wissen und Willen jährlicher Versamlung / keinen Krieg oder Fehde anfahen/ noch einig Bündnis oder Einigung mit frembden *Nationen* oder Gewalten machen/die dem Reiche zu Schaden / Nachtheil/ oder zu wider seyn mögen/junge Paurmeister *l. 2. de Jurud. c. 1. num. 19. pag. 439.* Sic porrò inquit *Limnæus in subseqq. §. 30. Et Recessibus Jmpery constat, non posse Jmperatorem vectigalia exigere aut telonia erigere, nisi accesserit consensus Electorum & §. 32. Leges Jmperij Universales, non à solo Jmperatore, sed ab omnibus Jmperij Statibus feruntur.*

Respondemus I. *Dn. Limnæum* committere ignorationem Elenchi. Ordinationes enim non loquuntur de ipsa MAJESTATE, sed de MAJE-

statis

ſtatis Iuribus ex illa Majeſtate fluentibus: quod etiã *Limnæus* ipſe innuit, dum immediatè addit hæc verba neq; is jura omnia Majeſtatis ſolus habet, aut per ſe exercere poteſt ſine procerum aſſenſu. Non enim 1. Bellum indicere. 2. Vectigalia erigere; 3. Leges Univerſales ferre absque ſtatuum conſenſu poteſt. Facilè autem nos concedimus Iura Majeſtatis eſſe communicata cum Statibus, nec Cæſarem ea ſolum exercere. Sed inde non ſequitur Ergo apud Imperatorem Majeſtas non reſidet. Demonſtravimus enim ſupra, quod Iura Majeſtatis poſſint communicari, non communicata Majeſt. ipſa Conſulatur *Nobiliſſimus Dn. Arumæus vol. 1. Jur. publ. Diſc. 7. p. 77. & ſeqq.*

II. Non ſequitur, Iura Majeſtatis non ſolus habet Imperator: Ergò Status non eſt purè Monarchicus. Status enim non confundendus eſt cum adminiſtratione; ſed ab eadem probè diſtingvendus, ut in 11. Concluſione demonſtravimus. Status derivandus eſt non à Iuribus Majeſtatis, ſed à Majeſtate ipſa: Adminiſtratio verò à Majeſtatis Iuribus eorumque exercitio, de quo etiam loquitur *Dn. Limnæus* inquiens: *Neq; is* (Imperator) *Jura omnia habet, aut per ſe* EXERCERE *poteſt ſine Procerum conſenſu.*

III Quæ porrò prolixè per aliquot pagellas diſputat *Limnæus*, de Iuribus Majeſtaris in ſpecie nominatis & adductis, illa eò tendunt, ut probetur Imperatorem non ſolùm exercere Jura iſta Majeſtatis, ſed cum procerum conſenſu: illa omnia ambabus largimur manibus, & noſtræ ſententiæ nihil derogant : quamvis in illis interdum Ariſtarchoopus ſit,

Quando enim I. dicit ad Reſponſionem *Reinkingij*, Cæſarem non ſua propria autoritate & nomine indicere bellum, §. 29 erigere vectigalia §. 13. ſed Imperij; non ſeriò illum dixiſſe autumo. Nam quilatebit *Limnæum*, poſtquam Lege Regia olim Populus omnem poteſtatem conceſſit principi, cœpiſſe jus illud belli indicendi ſoli Imperatori competere, cui belli pacisq; arbitriũ eſt relictum; quemadmodum *Schönbornerus lib. 5. Pol. c. 12* prolixè demonſtrat.

Quamvis autem ex pacto & conventione poteſtatem hanc cum Electoribus communicavit, ita ut hodiè ex *novis* Imperij Conſtitutionibus nõ indicatur bellum niſi Cæſaris & Electorũ ſuffragijs *Heig. quæ. 12. n. 29. Sleidan. lib. 1. Com. de Statu Religionis p. 29. Goldaſt. in*

Polit.

Polit Imper. part.12. Arum. Disc. 41. Jur. Pub. vol. 4. pon tamen probari poterit, Cæsarem non suo, sed Jmperij nomine bellum indicere.

Quod II. dicit de potestate L. L. ferendarum, concedimus quidem illam esse communicatam, ita tamen ut Cæsari tanquam Præsidenti & proponenti, summo Capiti & Domino prærogativa tribuatur, quod patet ex R. A. zu Regenspurg *de Anno 1546.* §. So wollen auch Wir mit Gnad vnd Hülff deß Allmächtigen/ solchem jetzt erstreckten Reichstage in eigner Person selbst/ gnädiglich beywohnen/ vor sein/ vnd mit Rath vnd Zuthuen der erscheinenden Ständen deß Reichs/ alles das so zu Abwendung deß H. Reichs gemeiner Beschwerden dienstlich ist/ verichten.

Secundum hunc modum etiam intelligendi sunt alij textus Recessuum, quos ipse *Limnæus citat*, §. 23. Hinc autem non infertur, Ergo suprema Majestas non est penes Cæsarem. Repetimus enim distinctionem nostram inter ipsam Majestatem & ejus Jura.

Quæ porrò ex nonnullis textibus Recessuum circa potestatem L. L. ferendarum inferri putat, illa præter communicationem illius potestatis nihil concludunt, quam nos concedimus.

Unicum tantùm ex illis adducemus, quod non sine admiratione legimus, nimirum *Imperatorem tantùm esse Administratorem Imperij.* Non sanè conjicere queo, cur *Dn. Limnæus* summæ Cæsaris Autoritati tam exiguam tribuat dignitatem. Considerentur quæso textus, quos *ipse* pro hac sua sententia §. 26. citat. Iudicetur quæso, anne contrarium potiùs in illis contineatur. Jta habent verba R. A. zu Angspurg *de Anno 1559* vnd vns mit der Bürde der *Administration* vñ Verwaltung deß heiligen Reichs/ auch anhangender *dignität*/ Hoheit/ Regierung/ Titul/ Scepter vnd Kron deß Römischen Kayserthumbs / im Namen deß Allmächtigen beladen. Per Deum immortalem, quis tam stupidus est, qui non capiat, hunc textum non tantùm loqui dè administratione sed & de *ipsa Majestate & Dignitate*! Fatemur quidem Imperatorem dici *Administratorem*, sed talem, qui *non alieno*, sed *suo nomine*, Iure Majestatis plenitudine potestatis & Sceptro Regiæ Dignitatis administrat velut summus Magistratus & Dominus, ut rectè sentit *Dn. Reinking. in Jur. Pub. l. 1. class. 2. n 178.*

CONCLUSIO. VI.

In Imperij hodierni Romani administratione mixta, præponderat Monarchia.

Quod & quo sensu administratio dicatur mixta, monstravimus suprà. Jam de certæ formæ prævalentiâ investiganda erimus solliciti: ideoque pro appositâ conclusione ita argumentamur. In cujuscunq; Reip. administratione Iura Majest. ita exercentur, ut Unus, apud quem Majestas residet, prærogativam & majorem potestatem habeat ibi præponderat Monarchia. In Imperij hodierni Romani administratione mixtâ Iura Majestatis ita exercentur, ut Unus (Imperator scil) prærogativam & majorem potestatem habeat: Ergo in Imperij hodierni Romani administratione mixta præponderat Monatchia.

Major stat suo talo: quippe quæ iterum ab ipsa essentia Monarchiæ est petita, addita, quoad prædominationẽ quantitatis ratione, quã hic pro fundamento adsumit ipse etiam *Limnæus* §. 42, quamvis contrariam tueatur sententiam.

Minor probatur 1. Quia nonnulla Iura sibi soli Cæsar reservavit, ut in præcedentibus dictum. 2. In Iurium communicatione majorem potestatem Imperator retinuit, ut rectè statuit *D. Besold. Pol. l. 1. c. 4.* inquiens: *Quocunq; modo Regalium concessio fiat; nihilominus superius illud & Majestaticum Imperium, eâ largitione nunquam comprehensum: sed potius major semper retenta putatur potestas, quam quæ concessa fuit.* Sic verbi gratia (ut uno tantum exemplo id declaremus) communicata est cum Proceribus Potestas leges ferendi; prærogativam tamen Cæsar tenet dum Leges conceptæ & communi suffragio munitæ, non Statuum sed solis Imperatoris auctoritate promulgantur & sanciuntur: quæ promulgatio & sanctio præcipuũ robur & auctoritatem Legibus conciliat: R. A. zu Nürnberg *de Anno* 1542. §. vnd damit *ibid.* So haben wir Vns sampt den Kayserlichen *Commissarien* mit der Churfürsten verordneten Räthen / Fürsten vnd Ständen verglichen / setzen / ordnen auch auß Römischer Kayserlicher vnd Königlicher Macht vnd Vollkomenheit. Notetur, quod non addatur potestatis plenitudo Ordinum sed SOLIUS Imperatoris. 3. Quia solus Cæsar in administratione pro causa principali habetur, cui Electores assistunt, qualibus verbis

his id exprimit *A. B. tit.* 26 §. Wenn aber *ibid.* die Churfürsten in viel vnd mancherley Beschwerung zu überheben/Kayserlicher Würdigkeit beystehen/vnd als ein Theil der Sorgfeltigkeit gesetzet sind.

Dn. Joh. Limnaus in suo Jure Publ. l. d. adducit pro senteniâ conclusioni nostræ contradictoriè opposita argumenta; ad ea verò quæ afferri solent pro altera parte respondet.

Ex Argumẽtis illis nonnulla pro nostris nõ agnoscimus; nonnulla quę nostra esse possunt, in superioribus defendimus. Unum quod alicujus est momenti adhuc examinabimus, Ita autem discurrit: *Imperium Romanum ex Monarchiâ & Aristocratiâ mixtum esse arbitramur: ita tamen ut Aristocratiæ lumen clarius apparere statuamus, seqq. permoti rationibus 1. Quia id expresse patet ex Orat. Mogunt. Electoris apud Sleidan. lib. 1. Comment. dum inter alia de Francisco Galliarum Rege ita inquit: Animi fortitudinem ei tribuunt, sed illa ad Monarchiam spectat: Nobis autem imprimis est retinenda Aristocratia. Quod itidem confirmat ex parte Mauritius Elector apud eundem Sleidan. lib. 24. dum Carolum V. Imperatorem incusat, quasi ipse aliquot per annos totus in eo fuerit, quo Monarcha suppresis Principibus Germaniæ, evaderet. Quorsum etiam pertinent. quę extant in literis Regis Galliæ (quarum mentionem Sleidan. d. l. facit) scribentis: se intellexisse à Germaniæ Principibus Carolum sibi Monarchiam constituere velle.*

Rationem hanc *Bodinus* quoque allegat & pro asserenda Aristocratia adducit. Verum *Reinkingius l. 1. clas. 2. c. 2. n. 149.* respondet *Bodino*, committi in eadem fallaciam falsæ interpretationis. *Non enim*, addit ille, *gravissimus Elector tam ad ipsum Statum respexit, quàm ad modum administrationis & regiminis, qui Aristocraticis rationibus rectè & prudenter temperatus est. licet ipse Status Monarchicus sit & maneat.*

Limnæo non placet hæc Responsio; ideoque his verbis eam reprehendit: *Repono in limine illud usu tritum veriverbium: Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum. Etenim dum ille aliis falsæ interpretationis vitium objectat, ipsus idemmet incurrit apertissime. Quippe posito; citra veritatis tamen jacturam, Statum Reipubl. ab administratione dari posse diversum, proindeq; hæc inter se non confundi, sed distingui debere vel maximè; inde tamen vix ac ne vix quidem effeceris Reinkinge, quod ur-*

ges. *Quæ enim connexionis hæc sit catena, Status ab administratione separatur, Ergo Elector Moguntinus non de Statu, sed verò de administratione locutus est, non video ego, & fortaßis nec alij.* Alloquitur inseqq. ulterius *Reinkingium* h. m. *Tu interim claßicis mihi proba testibus, quibus & tua ex Bodino nota distinctio, Monarchiæ vocem non tantùm pro Statu Monarchico, sed pro administratione Monarchicâ, Statu fortaßis alterius nominis & formæ existente, Aristocatia itidem vocabulum & pro Statu & quandoq; pro administratione Status usurpari commodè.* Hactenus Limnæus!

Immeritò h. l. reprehenditur *Dn. Reinking.* Nam quod attinet 1. Distinctionem inter Statum & Administrationem: illam nos pro bonâ agnoscimus & fundamenta ejus *in præcedentibus* adduximus; actum itaque hic non agemus.

II. Injuria fit *Clar. Dn. Reinkingio* dum tam ridicula ex ejus discursu formatur *à Dn. Limnæo* consequentia: *Status ab administratione separatur.* Ergo Elector Moguntinus non de Statu, sed de administratione locutus. Alium enim medium terminum assumit *Limnæus*, quã in discursu *Reinking.* habetur. Non vult probare *Reinkingius* Moguntinum loqui de administratione, hoc medio, quia administratio differt à Statu (siquidem hanc distinctionem præmittit tantùm ceu generale fundamentum;) sed verbis immediatè sequentibus: *Hanc interpretationem juvat, quod verba, quantumvis generalia temperanda & coercenda juxta naturam & conditionem rei de quâ proferuntur.* Hinc talis Syllogismus ex discursu *Reinkingij* formari posset: verba quantumvis generalia temperanda & coërcenda sunt juxta conditionem rei, de qua proferuntur: Verba hæc in Oratione *Moguntini* contenta sunt generalia. Ergo sunt temperanda juxta conditionem rei de qua proferuntur. *Ulterius* Qualis est conditio rei de quâ verba Electoris proferuntur, tali modo etiam verba illa sunt intelligenda. Atqui ea est conditio rei, ut administrationem respiciat. Ergo de administratione verba sunt intelligenda.

Hæc est mens *Dn. Reinkingij!* & ne excipiatur petitionem principii *in Minore* esse commissam, illam ita probamus: Nam si Statum (qui derivatur à *Majestatis* habitudine ad numerum Imperantium) respicerent illa verba: *Nobis imprimis est retinenda Aristocratia*, sequeretur, Majestatem æqualiter residere apud Cæsarem & Electores, siquidem

dem

dem Aristocratia est Resp. in quâ Majestas ex æquo est apud paucos, cùm tamen Majestas propriè dicta apud Electores non residеat, etiamsi Jura ejus sint communicata, ut probat *Nobilissimus Dn. Arum. Jur. Publ. Disc. 7. pag. 78.* Manet proinde quod illa verba concernant administrationem; siquidem tertium dari nequit ad quod referri possint.

Jam ulteriùs quæritur an ex his Moguntini verbis sequatur, *in illâ mixtâ administratione prævalere Aristocratiam?* Non autumo. Nam per vocem Monarchiæ intelligit puram Monarchiam, tum ratione Status, tum ratione administrationis: cui opponit Aristocratiam penitus abolendam; ut *hic sit sensus:* Nostri Imperij administratio ita est comparata, ut vi L. L. fundamentalium non à Cæsare absolutè & solùm perficiatur, sed etiam ex parte ea ad nos pertineat. Veremur autem si rerum summa ad Galliæ Regem deferatur, ne animi fortitudine affectet administrationem purè Monarchicam, & nos ita ab ista excludamur. Ideoque imprimis eò laborandum, ut Aristocratia Nobis (Electoribus) retineatur.

Hunc esse verum sentum illorum verborum non tantùm *intentio Moguntini* probat, sed & *verba Mauritij à Limnæo ex* XXIV. *lib. Sleid. allegata.* Ubi *Mauritius* queritur, Principum Electorum autoritatem imminui, multaque fieri non consultis ipsis: quædam etiam ab Imperio divelli & alienari; rationes iniri, quomodo jus creandi Cæsaris illis auferatur, in Comitiis Electorum sententias ferè postponi, & quæ sunt alia gravamina *pag. 772.* consignata. Ex hac querelâ colligi haud potest *Mauritium* asserere Imperium Romanum esse Aristocraticum, sed hoc tantùm: Cæsarem eò laborare, ut jus & potestatem Electorum imminuat, imò penitus aboleat atque sic puram consequatur Monarchiam. Non autem inde sequitur, Ergo in Administratione mixta prævalet Aristocratia, sed hoc tantùm: Ergo illud, quod Aristocraticum fuit in Imperio, Cæsar studuit tollere.

Idem etiam vult textus ex literis Regis Galliæ adductus: quippe in quo intelligitur per vocabulum Monarchiæ pura Monarchia ratione administrationis.

Porrò confugit *Limnæus* ad vocem Monarchiæ & Aristocratiæ inquiens: *Tu interim classicis mihi proba testibus quibus & tua ex Bodino nota,*

distinctio

distinctio, quam hic adhibes in explicatione Orationis Moguntini, Monarchiæ vocem non tantum pro Statu Monarchico sed pro administratione Monarchicâ, Statu fortaßis alterius nominis & formæ existenti, Aristocratiæ itidem vocabulum & pro Statu & quandoq; pro administratione Status usurpari commodè. Levis est hæc objectio. Quid enim frequentiùs est in Orationibus, quam abstracta poni pro concretis, cumprimis quando instituuntur de rebus magnificis; qualis & hæc Moguntini est oratio?

Conclusio VII.

Illustrissimum Electorale Collegium introductum est; non quidem Imperatoris vel Pontificis expressa Constitutione; sed consuetudine; quæ non tempore demum Friderici II. Sed Ottonis III. videtur orta, & sensim Ordinum consensu approbata, postque aliquot mutationes intervenientes tandem à Carolo IV. & reliquis Imperij Proceribus Aurea Bulla firmata.

Quod consuetudini tantum & usui longævo illa introductio accepta ferenda sit, expressè patet, tum *ex tex. c. 1. A. B. in pr. item cap. 4. §. cæterum & §. primum*; ubi sane nullius Sanctionis sed longævi usus & laudabilis Consuetudinis fit mentio: tum *ex c. venerabilem de Elect. & Electi potestate, ubi Innocent. III.* ad Bertholdum Zeringiæ Ducem sic inter cœtera scribit: Verùm illis Principibus jus & Potestatem eligendi Regem in Imperatorem postmodum promovendum recognoscimus, ut debemus, ad quos de JURE & ANTIQUA COSUETUDINE noscitur pertinere. Hic *Pontifex* autoritatem eligendi Imperatoris in Electores non vi vel Autoritate *Sanctionis Gregorianæ* translatam, Sed vigore *Translationis Imperij in Carolum* factæ & consuetudine antiqua, scribit. Quod si *Gregorius* ejusmodi sanctionem edidisset, haud dubiè tantam rem Pontifex, qui alioquin

ex musca

ex musca Elephantem gignere consuevit, minimè dissimilaturus fuisset. Unde ita colligimus. Quicquid soli consuetudini tribuitur, illud non tribuitur expressæ constitutioni: Atqui Illustrissimi Electoralis Collegii introductio soli consuetudini tribuitur Ergo illa non tribuitur expressæ constitutioni. *Minor* ex jam allegatis textibus *A. B.* & Juris Canon. patet. *Major* probatur quia constitutio expressa tanquam Juris scripti pars opponi solet consuetudini § *constat autem Instit.* de J. N. G. & C. Et quis unquam crediderit Germaniæ & Italiæ Principes, qui omnes Imperatores eligere initiò solebant, permissuros fuisse jus dandæ electionis expressa aliqua Constitutione sibi eripi. Arte itaque & latente usurpatione verisimile est Electores jus eligendi paulatim ad se traduxisse: æquioribus quippe animis homines usurpatione tacita quadam, quam expressa lege sibi adimi patiuntur. Nec enim initia percipiuntur, & non nisi conversione secuta sentiuntur. inquit *Bodinus lib. 2. c. 2. de Rep* Hanc sententiam tuentur *Nobiliss. Dn. D. Arum, Disc. 3. ad A. B. c. 4. Buxd. ad A. B. conc. 41. lit. e. Paurm de Jurisd. l. 2. c. 2. num. 162. Heigius p. 1. quæst. 3. Schönborn lib. 5. Pol. cap. 35.*

Et quamvis sint, qui aliquam *Constitutionem* referant, utpote *Goldastus tom. 3. Constit. Imp. pag. 371.* qui in Reichshandlung *pag. 16.* facit fragmentum deß Reichstags unter Kayser Otten den III. gehalten von Satzung und Ordnung der Churfürsten deß Römischen Reichs und ander Stände (*Iunge Knichen de Saxon. non provoc. iur. verb. Electoi. c. 1. per tot. Thuan. lib. 2. Hist. p. 25. Reusn. in enucle. Quæst. Hist. pag. 81. Cromer. de reb. Pol. lib. 35. pag. 3. Sleid. in Orat. ad Imperii Proceres pag. 8.*) tamen sanctio illa valde nobis suspecta videtur, tanquam merum figmentum, cum *Goldasto* in Reichshandlung *pag. 17.* Et ita manet hanc Electoralis Collegii introductionem soli consuetudini adscribendam esse, quam tempore *Ottonis III.* cœpisse arbitramur.

Videmus enim in *Privilegio Ottonis III.* scripto Anno 999. & præfixo Juri Saxonico Weichbilde / apertam fieri mentionem Electorum Ecclesiasticorum & Secularium; ex quo evincimus, Electorium ordinem *Ottoni III.* cognitum fuisse.

Ultra ejus tempora hactenus, præter *Jordanum in Chron* in tempora Caroli M. originem rejicientem, (quam sententiam refutat *Si-*

mon

mon Schardius & Chronicon Scabinorum Magdeburg) nemo constitutionem Electorum extendere ausus fuit.

Et sanè initium tum temporis sumsisse hanc consuetudinem ex *modo* quo Otto pervenit ad Rempubl. Romanam, quæque dignitatem illam conservavit, colligi potest. Eo enim peræ tatem rebus gerendis non idoneo, de successione graves oriebantur disceptationes. Quam primum autem ætas ejus maturavit, pacandæ Germaniæ curas omnes impendit. Idem post de Italiâ facere instituit, ut inde æquabili servitutis ac libertatis temperamento copularetur Germaniæ, duæque provinciæ nobilissimæ in unum quasi corpus coalescerent. At obsistebat *Factio Crescentij Consulis*, qui ciere multitudinem, transferre pro lubitu Pontificatum non desistebat, eoque impulsore *Gregorium V. ab Ottone III.* Agnato Pontificem constitutum urbe ejiciebat & *inpontificatu Iohannem Placentiæ Episcopum natione Græcum* surrogabat. Quibus cognitis irâ percitus Imperator coactis copiis Romam petit, eoque adigit necessitatis, ut patentibus portis exercitum recipiant, Imperator *Johannem Papam* naso truncatum & exoculatum de capitolio præcipitat: Crescentium vili jumento facie aversâ impositum circumduci jubet per urbem, minutisque membrorum sectionibus cruciari. Inde *Otto* pro ingenij sui perspicacia animadvertens ægrè ambitionem Italorum in appetendo Imperio conquieturam; ipse qui prole masculâ careret atque Majestatem Imperij Germanici suis cuperet esse perpetuam, decretum fecit, ut dehinc Imperatores ex solis crearentur Germanis, neque ullus nisi Germanus & per Germanos ascitus, Imperium gereret. Cœterum *Otto* incommoda illa, quæ ex suffragantium multitudine ac diversitate oriri necesse erat, provida mente expendens, occurrere eis ac mederi tempestivè voluit. Igitur contracto suffragantium numero rationem immutavit suffragiorum, & constituit gravissimum Electorum Senatum: cœteros Proceres non quidem tum ab Electione in totũ exclusit, sed jussit inferiori loco dicere sententiam, atque ab Electoribus tanquam Primoribus Imperij factam, prævia ipsorum voce, Electionem approbare.

Errant proinde PRIMO qui gloriari solent Septemviris eligendi Potestatem *a sede Romana, a Gregorio V.* datam, concessamque fuisse: *Baron*

Baron.. Tom, 10. *Annal. Eccles. Anno* 996. *§.* 41. *& sepp. Blondus lib.* 3. *decad.* 2. *Alphons. Alvar. in spec. Rom. Pontific c.* 16. *n.* 15. *& c.* 56. *n. Ludovic. Molinade Iust. & Iur. disp.* 29. §. *Tertiò. August de Ancona part.* 2. *de Eccles. quæst.* 35. *consid.* 2 *Iohan. de Capistro de Autori Pap. pag.* 2. *p. secund. princip. n.* 128. *ubi* hoc clarũ *dicit & Marta Neapol. de Iurisdict. p.* 4 *cas.* 97 *n.* 4. *& seqq.* qui addit nullum de hoc articulo dubitare. *Bellarm. lib.* 3. *de transl. Imp. cap.* 3. *Caspar Ens Thesaur. Pol. par.* 3. *Apotel. ult. pag.* 550. *Rudolph. de Columna de translat. Imp. circa fin.* qui totum illud caput de Electoribus à verbo ad verbum descripsit ex *Marsilio Patavino & de suo præter tria illa verba* PER GREGORIUM. *V. nihil* addidit *Nicolaus Bellus de Pontificibus Discur.* 1. *Adam a Conze, lib.* 7. *Polit. c.* 6. §. 2. *Lancellot in templ. omn. Iud.* 1. *cap.* 1. *a.* 2. *num.* 9. *& nuper Daniel Paræus in Histor. Eccl pag.* 277.

Verùm cum apertissimè constet, antea Populum Proceresque Imperij semper, Pontifices nunquam potestatem eligendi Imperatorem habuisse, quomodo quæso Gregorius V. id Electoribus dare potuit, quod ipse nunquam habuit? Hinc Electores apud *Goldastum tom. un. const. Imper. pag.* 439. se mirari respondent, Pontificis responsum inauditum, maximè hoc modo propositum, ut Electoribus præscribat, jubeat, Vetet: Et cùm Æneas Sylvius Pius II. dictus Archiepiscopum Moguntinum, Comitem Ilenburgensem Dietherum cogere vellet, ut sese juramento obstringeret sedi Romanæ & Successoribus, ne unquam nisi consentiente Pontifice Romano Moguntinus Electores convocaret Moguntinus libertatem & autoritatem publicam Senatus Electoralis defendendo, fulmine quidem Pontificio percussus est sed tamen à Friderico Palatino defensus *Peucer.* 5. *Chr. pag.* 945 Quin & nostro seculo Papa conabatur electionem Caroli V. sed non potuit. Quam inhumaniter autem invectus sit in Ferdinandum & ejus filium Maximilianum, cùm Ferdinando Carolus Imperium traderet, omnibus notum est; & tamen nihil profecit. Eruditè *Doctissimus Cardinalis Nicolaus de Cusa qui vixit circa annum* 1440. *in lib.* 3. *cap.* 4 *de Concord. Concilio Basilien.* oblato; expressis verbis negat hanc ordinationem proficisci à pontifice Romano, quando inquit: Heinricus I. pater Ottonis ordinatione Conradi

Regis legitur per electionem Rex constitutus, quum prius esset Dux Saxoniæ & primò factus est Rex Teutonicorum. Otto verò ejus Filius à Romano Populo accepit potestatem successorem eligendi & secundum illam ordinationem usque ad Ottonem III. servata successio post cujus mortem Heinricus secundus, Filus Fratris Ottonis III. electus est Et hic Imperator consensu Procerum, primatum & utriusque Status Cleri & Populi, perpetuos Electores, qui vice omnium elegerunt, ordinavit tempore Gregorij V. Non est igitur eo modo concedendum, Electores à Pontifice potestatem eligendi habere, si quid nisi ipse consentiret, non haberent, aut si vellet, ab ipsis tollere posset. *Et paulò post*: Unde Electores, qui communi consensu omnium Alemannorum & aliorum, qui Imperio subjecti erant, tempore Heinrici II. constituti sunt, *radicalem vim habent ab ipso, communi omnium consensu, qui sibi naturali* Jure *Imperatorem constituere poterant*; NON AB IPSO ROMANO PONTIFICE, IN CUJUS POTESTATE NON EST, dare cuicunque Provinciæ per mundum Regem vel Imperatorem, ipsa non consentiente Aut itaque nulla de re tanta a Gregorio Sanctio est facta, aut scelerate eam *Gratianus* prætermisit. Verum prius altero verisimilius videtur; cùm, qui in minimis usque adeò diligens est, nec majora neglecturum fuisse, merito præsumi debeat. Taceo, quòd annus, quo hoc decretum factum fuisse perhibetur, ab Autoribus certò non rradatur *Blondus loco allegato* factum esse sctibit biennio ante mortem Ottonis. Obiit autem secundum *Ursbergensis* supputationem anno millesimo ptimo, quinto Kal. Febr. qua ratione incideret hæc Constitutio in annum 999. Et *Iacobus Bergamas*, eam factam scribit Anno 994. *Platina* verò in Vita Gregorij V. an. Christi 1002. Promulgatam refert. Nec obstat c. *Venerabilem de Electione & Electi potestate Iuris Canonici*, quod *Bellarminus* tamquam palmarium adducit pro hac sententia *lib. 3. cap. 3. de transl. Imp Roman*, ubi dicitur ad Electores jus & potestatem eligendi Imperatorem ab Apostolica sede pervenisse. Testimonium enim hoc est domesticum cujus fides improbatur. *Etiam C. de test.* nec in propria causa idoneus quis testis *l. omnibus C. eod.* idque multo magis si testis potest prærendere honorem, commodum suum, vel etiam modicum interesse. *Sichard. in l. omnib. Cravett cons. 99. num. 2.* cumprimis

mis

mis quoniam Pontifices nullam idoneam, ut ex antecedentibus pateret, reddunt rationem suæ testificationis. quo casu testium fides nulla *l. solum. C. de test. ubi Sichard.* Imò tam Divini quàm humani Iuris ratio & ipsa rei evidentia huic reclamat, ut satis superq́ue demonstrat. *Nicol. de Cusa lib. sup. allegato.* Quod attinet alia testimonia Historicorum quæ adduci solent, respondemus cum *Sibrando Luberto lib. 9. de Papa Rom. cap. 6. p. 7631.* ea tribuenda esse tempori. In ea enim vel servitute, vel superstitione erant omnes, ut quicquid laudabile fieret in mundo, id tribueretur Papæ Romano.

Errant SECUNDO, qui Electorum Dignitatem longo tempore post Otthonem cœpisse arbitrantur, inter quos, referente *Simone Schardio de Elect. Germ. Princip. lib. un. cap. 3.* primi fuerunt *Iohannes Stabius D. Maximiliani Cæsaris Mathematicus & historicus Comes Nuenarius & Iacobus Spigelius, Selestadiensis.* qui ideo à communi opinione recessisse videntur, quod non septem Electores ad deligendum novum Imperatorem, sed plures convenisse, apud Autores invenerint. Quorum sententiæ proximè accessit *Iohannes Aventinus,* vir aliàs solidæ eruditionis, qui *lib. 5.* Annalium *Bojorum fol. 505.* morte Otthonis III. commemorata, de Septemvirorum institutione scribit in hæc verba: *De* Septemviris & primariis Heptarchis, qui sibi deligendi Imperatoris Romani Germanicique partes nunc sumunt, nihil penitus, ne verbulo quidem uno, neq; *Hermannus,* neq; *Romerius* neq; *Sigebertus,* neq; *Ottho* noster *Guntherus* vel *Pooeta* & cœteri quiq; proximi horum temporum gravissimi, diligentissimiq́ue Scriptores ullam mentionem faciunt: Profectò non omissuri tantam rem si uti nostro seculo sunt, illa tempestate Principes illi Constituendi Cæsaris legem ac prærogativam accepissent. Res aliter est, nempe longo tempore post instituta, filios semper parentibus, proximos sanguine & affinitate in demortuorum locum successisse, ab omnibus communiter Ducibus, Dynastis Satrapis, Episcopis, Præsulibus, Civibus, Populo Italiæ Galliæ Germaniæ designatum esse rectorem, usus rerum magister indicat. Ego, inquit, illos demum post fata *Friderici II.* institutos & a Gregorio X. Pontifice Max. confirmatos esse compertum habeo. Post *Aventini Annales* editos *Onuphrius*

Panvinius Augustiniana secta frater in libro de Comitiis Imperatoriis pag. 402. (quem librum iniquo infestoque in Germanos animo conscripsit, ut ex multis argumentis *cum Cisner. in Orat. de Ottone III. pag.* 59. & *Limnæo Jur. Publ. l. 3. cap. 3. pag. 6.* suspicamur) primum rationibus in medium adductis, receptam de institutione Electorum sententiam convellere; deindè Veterum gravissimorum Autorum testimoniis hinc inde accumulatis ostendere nititur, eandẽ à temporibus Ottonis III. usque ad tempora Friderici II. fuisse creandi Cæsaris formam, quæ ante ipsum ab obitu usque Ludovici IV. filij Imperatoris Arnolphi, servata fuisset: nimirum, ut Rex Germaniæ vel Imperator, ab omnibus saltem Regni Germanici Principibus, tam Ecclesiasticis quam Secularibus, qui ideo Imperii Principes appellabantur eligeretur: in eam tandem concedens sententiã ut cum *Aventino* statuat hanc institutionem exortam fuisse sub Gregorio X. circa tempora Comitiorum, quibus post longum Imperij interregnum *Rudolphus Habspurgicus* Rex appellatus fuit. Ad rationes eorum & Autorum testimonia eruditè respondet, *D. Simon Schardius Cameræ Imperialis Adsessor*, ãdeò ut supervacaneum esse arbiter, illum laborem de novo velle suscipere.

Unicum tamen adhuc hîc notabimus, quod à *Schardio* omissum, Dicunt, ante Fridericum II. non fieri mentionem Electorum Principum apud *Frisingensem*, qui tamen Publici Juris & Status Imperii, ipse Princeps ex Cæsarea familia natus, peritissimus fuerit. Verùm miror in lectione *Frisingensis* non animadversum fuisse illos quos posterior ætas Electores appellat, passim ibi Principes Regni absolutè & κατ' ἐξοχὴν nominari, quod in illorum potestate Regis Romanorum creandi calculus versaretur. Illud enim tùm temporis, Pontificius mos obtinuerat, ut à Septemviris Germaniæ Rex diceretur tantummodo eligi posse; Imperatoris autem nomen cofirmationem & coronationem Pontificiam sequeretur, *Pet. de Antlo lib. 2. de Imper. Roman. cap. 5.* Unde etiam *in A. B. tit. de Electione Regis Roman.* non Imperatoris inscriptus & juramentum septemvirale de temporali Populi Christiani Capite, hoc est, ut ibidem ex-

plicatur

plicatur, de Rege Rom. est conceptum *tit. 2. §. ego.* Atque ita more sui seculi *Frisingensis*: Igitur Albertus, inquit, nam id Juris dum regnum vacat, Moguntini Archiepiscopi ab antiquioribus esse traditur, Principes Regni in ipsa Civitate Moguntina convocat, &c. *lib. cap. 16.* Quid illustrius ad rem istam demonstrandam esse possit? Intelligit antiquius illud Moguntini Archicancellarii jus, de quo etiam *Carolina Bulla* loquitur *tit. 1. §. cum autem.* Principes Regni hoc est Electores, post obitum Imperatoris, uti tum ibi factum est, convocandi. idem paulo post *d. l. cap. 22.* 11. *c.* 12. *l. 2. c.* 1. 34. 11.

Cœterùm cùm teste *Dubravio lib. 22. Histor. Bohem.* Electorum exarserat ambitio, ut primùm sibi quisquam locum, præcipuamq; Autoritatem in eligendo assidendoq; vindicaret, nedum ut alius alium in honore deferendo præveniret, unde simultates inter illos & aliquoties cædes ex domestico illo dissidio suscitabantur. Cum *Heinricus IV.* puer quinque annorum in Imperatorem Aquisgrani coronandus esset, inter Coloniensem Archiepiscopum Hermannum & Lupoldum Primatem Moguntinum conflictus fuit. Nam hic eam sibi vendicabat dignitatem, quia negotia Regni sibi commissa essent; ille verò quia intra suam diœcesin locus iste coronationis situs esset. *Zvving. lib. 4. Theat. Hum. vit.* in conventu Imperii, quo Heinricus VI. Friderici Filius Rex Romanorum designabatur, die eo, quo Regi Corona imponenda esset, ambitiosam turbam excitavit Abbas Fuldensis: Coloniensem enim Archiepiscopum sinistrum jam latus Imperatoris tenentem loco amovere nisus est, ut latius refert, *Crantzius l. 6. c. 46. in Sax.* Et cum Heinricus III. esset Moguntiæ, inter Ministros Moguntini Archiepiscopi & Fuldensis Abbatis, de loco exorta est contentio: res à verbis ad verbera processit, ac sine morâ gladijs congredientes, templum humano sanguine fœdarunt. *Naucler l. vol. 2. gen. 36.* Hinc *Carolus* approbante Senatu Principum frequentissimo decretum promulgavit, quo gradus, potestatesq; Principum & aliorum ordinum ita discrevit, ut nullus de jure suo tamquam imminuto queri potuerit: Sed contra potius, ut tenviores cum potentioribus se quodam modo æquari gavisi,

fuerint

fuerint Sic item vetera Cæsarum de eligendo Rege Romanorum placita renovavit, ut in hodiernum diem Carolina sanctio de mandandis sufragijs sola apud Principes vireat, vigeatque *Thuan. lib. 2. circa princ. Histor.* Tantum hac vice!

FINIS.



SEQVITVR

SEQVITVR
APOLOGIA
IOHANNIS LIMNAEI.



Onolsbach
Typis Christophori Laueri.

Anno M. DC. XXXXIII.





Tque tot sunt Sententiæ Capita, quam Dominus Wizendorff, S. S. Theologiæ Licentiatus, Pastor, Superintendens, Canonicus Bardouvicensis in me tulit. Licet verò ipso in limine judici incompetentiam opponere jure possim, attamen postquam cælum conjunctionis Solis & Lunæ exemplum posuit, idem in terra quò minus eveniat, mearum virium impedire, non erit. Accedit quòd merita causæ tanti æstimem, ut ab eodem, qui me condemnavit- non dum satis informato, ad eundem melius informandum provocare commodum ducam. Ergò ut innocentia mea clarius effulgeat, distinctim per sectiones, axiomota defensionis exhibebo, & ab ovo, quod dicitur, deducenda deducam, probanda probabo.

Sectio I.

Vocabuli Status varias esse significationes.

1. *Varios esse significatus vocabuli status.*
2. *Statum, Imperij corpus significare.*
3. *Id verò quo sensu?*
4. *Quæ nam Respubl. mereantur nomen status.*
5. *Nonnulla de statu Ottomanico.*
6. *Status Hominis quid significet.*
7. *Status ætatis.*
8. *Status rerum.*
9. *Formam Reipubl. statum dici.*
10. *Scilicet, statum qualitatis.*
11. *Status Rei publicæ definitio.*
12. 13. *Status Reipubl. ut differat à Republica.*
14. *Statum Reipubl. Romanæ ad huc durare.*

1 DEvario Significatu vocis Status, scripsi in juris publici lib 1. c. 10. in pr. & aliquot numeris subsequentibus; Proinde actum non agerem, ni vererer Lectori molestum fore, si ab his ad alias vocaretur tabulas. Sciat itaque inter Significationes status, duas præcæteris potissimum eminere. Unam, qua Status idem est, quod
2 Corpus Imperii, ut Florus loquitur: Respublica, in genere ita dicta Regnùm, Imperium, Principatùs, Italis Stato, Gallis Estat, *Sfort, Odd, cons, 27. n. 17. Pauermeist. de juridict. Imper. Roman. lib. 1. cap. 6. n. 2*
3 Status autem ideo vocatur, vel quod per se stet, nec ab alio dependeat, vel alienis Legibus moveatur; *vel, ut habet Loÿseau au Traictè des Seigneuries. cap. 2. n. 6.* Pource que la Souvera ineté est le comble & Periode de puissance, ou il faut que l Estat sareste & sestablisse; hoc est; quia superioritas culmen est, & periodus potentiæ, ubi necesse est, ut subsistat status, & constituatur. Hoc sensu Respubl. status dici
4 merentur, quæ superiorem in terris non recognoscunt, & Majestate, quæ realis dicitur, pollent, ubi scilic. Populus liber est *L. 7. ff. d. captiv. & postliminiore versis.* Ita Imperium Romano Germanicum, Regnum Galliæ, & Respubl. Veneta &c. Status est. Datur quidem
5 Ottomannicus Status, ubi populi alia conditio non est, quam Servilis, adeò ut vitam precariò, bona autem tantùm peculij titulo tenere videatur; Unde status in solâ *Ottomannica* familia ibi consistere dicitur. Verum cum hic status Barbarus sit, nec Christianis Principibus conveniens *Loÿseau d. cap. 2. n. 62.* eum extra regulam pono. Al-
6 tero significatu, status conditionem, sivè qualitatem rei, vel Personæ denotat. Notum est ex jure nostro, statum hominis significare qualitatem, vel conditionem hominis; ut esse liberum, servum &c. *Dd. ad tit ff. de stat. homin. & tit. Instit. de jure personar. l. 1. & tot tit ff. ne de statu defunctor post quinquen quæratur l. 1. C. qui numer. liberor. se excus.* cujus verba, de quorum statu non ambigitur, ita explicat Marcus Vertranius Maurus *de jure liberor c. 17. p. mihi. 57.* ut de liberorum statu, id est conditione, liberi sint, an servî, legitimi, an non, hæsitet, dubitetve nemo, ambigatq; sint nec ne Superstites. eodem sensu instrumenta status, *l. 8. §. ff. quod met. causa,* dubitans de statu suo *l. 15. ff. qui testam. facer.* ignarus status sui *l. 41. ff. de reb. credit.* integer status, *l. ul. ff. ad. l. Jul. Majestat.* Status mutatio, *in pr. & §. 3. Instit. de cap. diminut.*

minut l. 1. *l.* 4. *ff. eod.* Status Controversia. § 12. *Instit de excusat. tutor. vel curat. l.* 7. *ff. de jure fisci.* Quæstio Status *l.* 6 §. 18. *ff. de excus. tutor.* Causa status. *l.* 2. *l.* 4. *C. ubi causa status agi debeat.* Hominis conditionem vel qualitatem concernit. Fit etiam status ætatis mentio 7
in l. 13. *ff. de probat.* & pervenire ad statum suum *l.* 77. § 14 *ff. de legat.* 2. is, dicitur, qui legitimam, hoc est 25. annorum, ætatem adimplevit; quod sit ἀκμὴ, crescendi finis, quo vigor virilis completur. *Hilliger ad Donellum enuc. lib.* 21. *c.* 7. *lit. a. in notis.* vel stata & firmata ætas.
Ut Rerum status, conditio earum est *l.* 205. *ff. de R. l.* ita & Provincia- 8
rum, Imperiorum & Rerum Publicarum. Virgilius 7. *Aeneidos* non procul à Principio.

Nunc age qui Reges Erato, quæ tempora rerum
Quis Latio antiquo fuerit status,

Et apud Julium Capitolinum, *in vita Maximi & Balbini*, Claudius Julianus in epistola ad Pupienum, & Balbinum Augustos (*quæ extat in historia Augustæ scriptor. latinor. minor. à Jano Grutero editorum p.* 384.) Nam cùm ad vos respicio, aliud nihil optare possum, quàm quod apud Deos dicitur victor Carthaginis precatus, ut scilicet in eo statu Rempublicam servarent, in quo tunc esset, quo nullus melior inveniretur: Ita ego precor, ut in eo statu vobis Rempublicam servent; in quo eam vos ad huc nutantem collocavistis. Cũ verò conditionum Reipublicæ farrago sit; ex illis autem præcipua.
Regiminis vel administrationis forma, eam ICti, & Politici, secundum 9
excellentiam, statum appellare consueverunt. Ita capio Ulpianum *in l.* 2. *ff. de just. & jur.* ubi jus publicum illud esse docet, quod ad statum Rei Romanæ spectat: Scilicet illum, ut ipsemet explicat, qui in sacris, Sacerdotibus & Magistratibus consistit. Pomponium quoq; *in l.* 2. §. 24. *ff. d. O. J.* quando Rempublicam suum statum recepisse scribit. Et hoc sensu Politici Statum Monarchicum, Aristocraticum, Democraticum, aut ex his mixtos, considerant, & formas Rei-
publicæ appellant, ut apud eosdem videre est. Alstedius *tom.* 4. *ency-* 10
clopædiæ lib. 23 *c.* 4. *pag.* 1406 formam Reipubl. Statum qualitatis dici,
monet. & *pag.* 1408. scribit, Status Reipubl. est forma civilis admi- 11
nistrationis, qua stat, & esse suum habet.

12 Quamquam autem ex his jam satis appareat, maximam esse differentiam inter statum in primo significatu & statum in secundo, acceptum, attamen in gratiam Studiosæ juventutis hæc planius explicare operæ pretium duco. Status isti tempore differunt. Respublica enim, seu status communis, ut loquitur Petr. Gregor. Tholosan. *lib. 1. de Republ. c. 2. in rubrica.* constituitur primum; Deinde accedit administratio, qua rei constitutæ consulitur. Administrationis
13 forma à Republica regulariter constituitur, & aboletur, prout visum fuerit, atque alia in locum prioris substituitur, salva semper manente status substantia; aut si salva non maneat, status esse desinit. In Republica Romana administrationis forma aliquoties mutata, *ut ex leg. 2. §. 14. & seqq. ff. de O. I. & historicis vetusti temporis constat.* Status au-
14 tem Reipublicæ à primis incunabilis semper mansit, ut ad huc durat ut multi ex nostratibus sentiunt, & cum illis Duret. *au discours de la verité des causes & effects des decadences, mutations changements, conversions & ruines des Monarchies, Empires, Royaumes & Republiques ch. 8. p. 56.* Potentia & vires Imperii creverunt, & decreverunt, idem tamen, quod fuit, mansit Imperium. Titius hodie robustus, cras infirmus & vice versa, idem Titius *arg. l. si infantis 55. ff. de usufr.* Eadem sylva hodie est, quæ olim fuit, Hercinia, licet arboribus multum imminuta. Rhenus dum abundat aqua, Nilus dum irrigat Ægyptum, non magis Rhenus, vel Nilus est, quàm quando siccofere fluit alveo. Aut ut aptius ad rem nostram dicam, ut peculium hominis decrescit, homine salvo. *l. 14. ff. de pecul.* ita etiam Imperii peculium, salvo Imperio. Nec mirum Romano Imperio ab aliis ereptum, quod ab aliis habuit. Vix autem ab orbe condito ullum fuit Imperium, quod tot everterit status, atque in Provinciarum formam redegerit, æquè ut Romanum.

Sectio. II.

Quando inter Statum, & eiusdem gubernationem, vel administrationem, ac à quo distingui cæptum, quibus fundamentis, & quo applausu.

1, 2,. *Statum*

1. 2. *Statum Reipub. ab imperandi ratione distare docet Bodinus.*
3. *Bodinus se primum huius opinionis artificem jactat.*
4. *Bodinus hanc distinctionem sapius reiterat.*
5. *Et in ea sibi nimium placet.*
6. 7. 8. 9. 11. *Qui Bodini opinionem amplectantur.*
10. *Bodinum hanc distinctionem ex Aristotele mutuatum, qui doceant.*

BOdinus *de Republica lib. 2. c. 2. p. 305. (editionis Francofurd. Wecheliana de anno M. D. XCIIII. qua mihi, dum hac scripsi ad manus fuit)* illud admonendi sumus, ait, Reipublicæ statum ab imperandi ratione distare plurimum, quod antea nemo, quantum intelligere potuimus, animadvertit. Nam Reipublicæ status Regalis esse potest, gubernatio tamen popularis futura est, si Rex omnia Imperia, Sacerdotia, Curationes, pœnas item & præmia, omnibus ex æquo distribuat: si vero Princeps Imperia, honores, magistratus, Patritijs, vel divitibus, vel fortibus, vel studiosis impertiat, Regia potestas erit, & quidem simplex & pura, sed Aristocratica ratione temperata, Ita quoque Optimates pauci Rempublicam populari modo regere possunt, si cives omnes omnium Magistratuum participes fecerint: aut Aristocraticè, si paucis quibusdam, qui aut virtute, aut Censu, aut nobilitate cæteris præstant: quæ diversitas eos in errorem impulit, qui Respublicas plures tribus, erroris opinione, sibi finxerunt. Idem Bodinus *d. lib. 2. c. 7. p. 375.* scribit: Atque hæ quidem absurditates, ac multò majores ex eo sequuntur, quòd Aristoteles gubernandæ Civitatis rationem, pro statu Reipublicæ usurpavit: cum tamen fieri possit, ut sit Regalis status, ac nihilominus populariter gubernetur; quãdo scilicet Princeps omnia omnibus civibus Imperia, magistratus, honores, præmia, pœnas, ex æquo largitur, nulla virtutis aut nobilitatis, aut divitiarum habita ratione; moderata verò monarchia optimatum ratione dicetur, sit Rex idem virture, aut opibus aut nobilitate præstantes cives, ad curationes, & Imperia vocaret. Quod si populus rerum Dominus, honores, Sacerdotia, Magistratus, patritijs tantùm tribuat, ut Romæ factum est, usque ad legem Canuleiam, Status quidem Popularis futurus est, sed Atistocrarica gubernatione moderatus. Si optimates in summa potestare constituti, Plebeiis tan-

tum

tum honores & imperia largiantur, status erit Aristocratitus, populariter institutus. Contra verò si populi universitas Dominatum adepta, omnibus Civibus omnia imperia, magistratus, Curationes concedat aut Cives omnes vicissim sorte ad imperium vocentur, status maximè omnium popularis futurus est, ac populari gubernatione constitutus: quod Athenis factum est, Aristidis justi rogatione, qua civibus omnibus, ad omnes magistratus aditum patere voluit, nulla census, aut nobilitatis prærogativa, contra quam lege Solonis cavebatur, ut in tribuendis honoribus & imperijs, ratio census haberetur. Quò si optimates ac locupletes summam potestatem adepti, semotis tenuibus ac plebeiis omnibus, honoribus ac imperiis soli fruantur, statum non modò optimatum appellabimus, sed etiam Aristocratica ratione moderatum.

3 Hic mihi occurrat aliquis, in ea sententia, quam tueor, fuisse ante me neminem: id quidem agnosco, nec dubito plerisque novum videri: Sed tamen necessarium esse statuo, ad universam de Republica, quam tractamus, disciplinam, aut in errores inexplicabiles, minimeque ferendos implicari, quibus Aristotelem ipsum irreritum videmus, sensus ipsos ac rationes neccessarias oppugnantem. Et iterum Bodinus *lib. 6. de Republ. c. 6. p. 1207.* Diximus antea sæpè

4 ac dicendum sæpius est, propterea quod ad hunc scopulum quam plurimi naufragium fecerunt, statum Civitatis cum ratione gubernandi sæpè eundem, sæpius ab eo diversum esse. Statum enim Romanum, exactis urbe Regibus, popularem fuisse diximus: quoniam, jura Majestatis omnia in populi totius concessu fuerunt; ratio tamen gubernandi civitatis alienissima fuit â populari, quoniam patricij Sacerdotiis, Imperiis, honoribus, senatoria dignitate, soli fruebantur, plebeiis aditus omnes ad imperia intercluti, & obvallati â patribus obsidebantur: at ne jura quidem connubiorum plebicum Patricijs communica fuêre, nec Patriciæ feminæ licebat â patribus enubere. Suffragia verò ex censu & ætate, quæ centuriatis comitiis ferebantur, potissima præcipuaque fuisse constat. Cum igitur status esset popularis, ratio verò gubernandi aristocratica, geometricis legibus constituta, plebs â Patribus sæpè discessit, nec diutius eam gubernandi rationem ferre potuit; nec prius a seditionibus civilibus

civilibus conquievit, quam plebeiis, æquê ac patribus, Imperia, Sa-
cerdotia, magiſtratus, honores, jura connubiorum, ſuffragia deni-
que omnia omnibus communicarentur. Ut cunque tamen leges la-
tæ fuiſſent, vix plebei honores adipiſci poterant ſed ferè illuſtrium
gentium dignitati concedebantur, & omnia ferè a ſenatu, ſemota
plebe, gerebantur, quæ civitatis gubernandæ ratio florentiſſimum
ſtatum effecit. At cum Tribunitia vis ac furor ad plebem ſummam
gubernandæ civitatis poteſtatem detuliſſet, ac Senatui eripuiſſet, om-
nia peſſum iêre, & quaſi vocum ſuaviſſimo concentu diſſoluto, diſ-
cordiæ graves conſecutæ ſunt, quæ Rempublicam funditus everte-
runt. Hactenus Bodinus, qui tot reiterationibus, novæ hujus opi-
nionis, ſibi Suffenus, adeo exultat, & tripudiat, ut aliud non omiſe- 5
rit, quam publicum illud εὕρηκα εὕρηκα. ſed nec in totum hoc
quoque In theſi Bodinum, ſecuti ſunt aliquammulti. ReinKingius 6
de Regim. Secul. & Eccleſiaſti lib. 1. *claſſ.* 2. *c.* 2. *n.* 104. diſtinguendum,
ait, inter Reipubl. ſtatum, & imperandi, ſeu adminiſtrandi formam,
ac rationem accidentalem, quæ inter ſe diſtant plurimum. allegans
præter alios. Cothman. *in C. lib.* 1. *tit.* 1. *quæſt.* 1. *n.* 10. Idem hoc iterum
inculcat. *d. c. n.* 194. *&* 237. ac. 238. exempla addit. Sic in Belgia inquit, 7
ſtatus ipſe eſt Democraticus, & popularis. Adminiſtratio autẽ Ariſto-
craticè temperata per Proceres, & Primores perficitur. Sic vice verſa,
Adminiſtratio poteſt eſſe Monarchica, licet ſtatus ipſe, ſit popularis,
ut fuit tempore Dictatorum, quorum adminiſtratio ferè Monarchi-
ca, in ſtatu tamen populari. Iohannes Norderman (ab aliis Ictus
Weſtphalus dictus) *in diſputatione de jure Principatus.* (*extat volu-
mine quarto diſputationum ſelectiorum, Baſileæ, opera Genathij editarum*) 8
theſi 9. *lit. b. tradit*; Imperii adminiſtratio ſtatum non immutat. dif-
fert enim ſtatus & ejus gubernatio: & circa qualitates, non verò ſub-
ſtantiam fit immutatio, & propterea non deſinit eſſe eadem, Angel.
in l. 76. *de judic.* Iohann. Henricus Alſtedius in laborioſo opere, quod 9
Encyclopædiam inſcripſit. *tom.* 4. *lib.* 23. *c.* 4. *p.* 1407. *dicit.* Monarch-
ia, ut rectè ait Bornitius, gubernari poteſt Ariſtocraticè, vel Demo-
craticè, ariſtocratia monarchicè vel democraticè: Democratia mo-
narchicè, vel ariſtocraticè, adeo ut ſæpè triplex adminiſtrandi ratio
commiſceatur, ſtatu illibato. Ita tres humores in corpore hominis

cholericè poſſunt regi, vel phlegmaticè. Quemadmodum enim in omnibus.ita & in Republ. formis a potiori, ſeu eo quod prædominatur, fieri debet denominatio. Sic tametſi quatuor humores, Cholera, Sanguis, phlegma & melancholia reperiantur, in cujusvis hominis corpore: ab uno tamen, videlicet prædominante, fit denominatio. Hinc homo dicitur cholericus, ſanguineus &c. Inter diſputatio-
10 nes Baſilienſes paulo ante adductas *vol. 1.* reperitur Philippi Ioannis Treutleri de ſtatu & formis Rerum publ. cui *theſ. 9. lit. d.* hæc Bodini diſtinctio deſumpta videtur ex Ariſtotele *4. politic.* (quod etiam Beſoldus monet *diſcurſu de Monarchia c. 2. n. 1.*) & eandem recipere ſcribit Iacob. Bornitium *in partit. polit. 1. c. de princ. ſtatuet diſtinct. Rerum publ.* Kirchner. *in Republ. diſput. 8. thes. 7. lit. e.* Georg. Obrecht. *in diſputat. de Rega lib. 542. thes. & ſeq* Paucos ante annos epitome prudentiæ civilis in lucem editum, cui Petri Laurenbergi nomen adſcrip-
11 tum, in eo author. *c. 16. n. 7.* ait, aliud eſt ipſe ſtatus, vel ſpecies, vel forma Reipublicæ, aliud regimen, ſeu adminiſtratio; Quæ non ſolum accidens eſt iſtius, ſed & mutari variè poteſt, velut unus idemque homo vultum & conſilia mutat. Quamvis igitur in Regno quolibet poſt Regem admittantur in Concilium, & in partem regiminis ſtatus alij, manet tamen Regnum, neque miſcetur Ariſtocratiæ. Certè ſi gubernatio, utpote accidens, mutata, mutaret ſpeciem Reipubl. jam non tres, aut quatuor forent conſtituendæ, ſed innumeræ: quia infinitis modis variat gubernatio.

SECTIO III.

Qui Bodini diſtinctionem improbaverint, & cur improbanda.

1. *Fabius Albergates Bodinum impugnat.*
2. *Errores typographici.*
3. *Quid Althuſius de Bodini opinione ſenſerit.*
4.5. *Authoris judicium de opinione Bodini.*
6. *Monarchia monarchice debet adminiſtrari.*
7 *Adminiſtratio in Republica libera ex præſcripto eſt.*
8. *Status Reipubl. natura Populi conveniens eſſe debet.*

UT, diſtinctionem Bodini, inter ſtatum & adminiſtrationem ſtatus, multi

multi am babus ulnis exceperunt, & eam ad huc inpretio habent; ita nec defuerunt alij. qui eam aversati sunt, & ad huc impugnant. Inter eosdem ante signanus est Fabius Albergates, Jtalus, qui professa lite in Bodinum scripsit, cujus formalia, huc pertinentia, exhibui 1
in tractatu meo de jure publico. *lib.* 1. *c.* 10. *n.* 23. & latinitate ea, qua donavi, Wizendorffius in discursu suo *conclus*2. ubi pro visibile, risibile, legendum rectè observavit ; hoc enim, tàm Italicus textus, quam res ipsa, requirit. & operis mei autographum idem habet. Incuria ergò: aut amanuensis, aut typographi, & ejus, cui correctio 2
typographica commissa fuit, u pro r. substitutum. Quod illis facili venia condonarem, nisi perpetua, totum per opus, negligentia laborassent. Undè tot ferè vitia, tot sphalmata nata, quot lineæ, & quandoque his plura ; ut non rarò me ipsum in meis scriptis quæram, nec inveniam, lib. 1. *c.* 7. *n.* 45. pro Friderico II. Tertium posuerunt, pro nepote filium. d. lib. 1. *c13. p. 253. n. 6* pro mit begriffen/nit begriffen: adeò veritatem, & sensum, sexcentis in locis perverterunt, non sine maximo meo cordolio, qui tunc temporis, quando sub prælo opus fuit, extra Germaniam vixi Quod hic occasione oblata, lectorem celare nolui Quid Althusius de Bodini distinctione senserit, in polit *c.* 39. 3
n. 3. rotundè exposuit. Malè, inquit, meo judicio, ita Bodinus distinguit.

Nam ex sola administrandi potestate, species Magistratuum sumuntur; atque ex hac cognoscuntur, num illi sint Polyarchici, vel monarchici. Ego, quod Bodini dogma improbarerim, vapulo scripto Wizendorphij, sed hinc sententiam non muto. Firmiter enim 4
credo, statum eo sensu, quo Bodinus in distinctione utitur, nihil esse aliud, quam ipsius status (in prima à nobis supra adducta significatione) formam regiminis, quæ in concreto haud aliter, quam in ipsa administrarione sese exerit, atque ita in exercitio, cum administratione ea copula connexa est, ut unum idemque constituat, indeque distingui, aut separari vel non possint vel non debeant. *arg. l. honor.* 14. *in princ. ff. de muner. & honor. l.* 1. §. 8. *l. de offic. praef. pra. Afri.* Aut si ullus distinctionis usus, is alius non sit, ac si inter tutelam, & administrationem tutelæ, inter juris dictionem, & imperium, ac hujus & 5
illus exercitium, distinguere placeat. At sine exercitio hæc omnia

vana & otiosa sunt; Imò vero, Status, vel forma regiminis, sine administratione nunquam consistere potest, sed administratio in perpetuo est motu & actione, qua cessante, status ipse, hoc est forma reipublicæ, cessare cogitur. Quod in tutela, jurisdictione & Imperio secus est. Tutelarem enim potestatem exercet tutor, ubi opus, ubi haud opus, non exercet. Ita etiam jurisdictio, & Imperium, aliquando in quiete, aliquando in exercitio est. Demus nunc,
6 magnæ esse utilitatis distinctionem inter statum & administrationem status, persuasum tamen planè mihi habeo, exercitium & administrationem formæ, a forma ita informari, ut ejus qualitati conformis sit, & nomine conveniens. Inde Monarcha Monarchiam monarchicè administret necesse est. Liberalis liberaliter agit, fortis fortiter justus justè. Sic ex actione agentem cognoscimus & denominamus: Ex fructu de arboris qualitate judicamus: Mores & actiones, ut ajunt, sequuntur temperamentum; Qualis causa, talis effectus, qualis administrator, talis administratio: qualitates manant a forma, tanquā a causa efficiente &c. In libera Republica (qualis Ger-
7 manorum est) regimenta probeneplacito conferuntur, sed certis legibus, & ita limitantur, ut administrator liberum arbitrium non habeat ingenij sui ductum sequi; sed ea administrationis forma uti debeat ad amussim, quæ ei præscripta fuit. Quæ si monarchica sit. monarchicè administrari debet. Quod si enim statum Monarchicum amaverint præ cæteris, convenientissimam illi administrationem amare simul consequens est: at quæ administratio convenientior Monarchiæ, quam Monarchica esse possit, non video.

8 Politicorum dogma est, statum Reipubl: naturæ populi convenientem esse debere; quod si ergo Monarchia horum naturæ conveniens, sequitur necessariò, & regimen, quod ut in actione consistens, oculos & animum fortius incurrit, Monarchicum esse debere. Idem judicium esto de Aristocratia, & Democratia, ut & de statu mixto; scilicet qualis status, talis etiam sit administratio.

SECTIO

Examen Secundæ conclusionis Wizendorffianæ.

1. Quid Wizendorffius in conclusione secunda doceat.
2.3. eidem Respondetur.
4. Wizendorffius truncatim retulit locum Arnisæi.
5. Nec recte eundem intellexit.
6. Jura Majestatis an eiusdem sint partes constituentes, an effectus.
7. Quod Arnisæi est, malè Limnæo adscribit Wizendorff.
8. Quo sensu intelligi debeat, Imperatorem multa jura Majestatis, Statibus Imperii communicasse.
9. Multa tenent status aliunde quam ab Imperatore.
10. Imperator confirmat statibus jura quæ habent.
11. Idq; Necessariò.
12. Sed eam confirmationem requirere in voluntate Statuum consistit.
13. Cui bono sit illa confirmatio.
14. Imperator in nonnullis libertatem agendi non habet, citra consensum Electorum, & Statuum cæterorum.
15. Cujus rationem ex comunicatione Cæsarea deducit Wizendorffius.
16. Sed malè.
17. Concessio ab Imperatore an communicative an verò privativè fiat.
18. Wizendorffius non potest probare positionem suam.
19. Votum authoris.
20. Fabium Albergatem pro se adducit Wizendorffius.
21. Sed malè.
22. Wizendorffius turbato rerum ordine suscipit patrocinum Reinkingij.
23. Allegationes a Wizendorffio
24.25. Facta, taxantur.

DUo sunt, quæ in hac conclusione principaliter docere voluit Wizendorffius. Primum, statum distinguendum esse a modo administrationis. Alterum, Status monarchici administrationem rationibus aristocraticis temperatum esse posse, integro manente statu Monarchico. Quæ an sufficienter, & quomodo probaverit, excutiendum est. 1

I, Agnoscere se distinctionem illam probona, proba & accurata, scribit; qua in re mihi molestus non est; habeat enim caput et sensum 2

 liberum,

liberum, me quod attinet, æquæut ego habeo, ipſum quod concernit,

3 II. Statum reſpicere air ipſam Reipublicæ eſſentiam, Si ſtatum primo ſignificatu, quo â nobis ſect. 1. explicatus, intelligeret, conſentirem; at dum pro Monarchia, Ariſtocratia, aut Democratia, hoc eſt pro forma Reipubli. accipit, diſſentire cogor, Dixi enim ſectione primâ, formam iſtam, ſtatum qualitatis dici.

4 III. Allegat contextum ex tractatu meo de jure publico *lib.1.c.10.n.45.* ſed truncatim, ea fortaſſis intentione, quò facilius Lectori perſuadeat, quod intendit. Totus autẽ ita ſe habet. Diſtinguendũ enim eſt cũ Metaphyſicis inter indiviſibilia & indiviſa: Quorum illa, ob ſimplicitatẽ ſuam diviſionem reſpuunt, hæc cum ſint ex partibus conflata, licet qua ſunt, unũ ſunt, id eſt indiviſa, tamẽ diviſio illis non repugnat, Multa enim dicuntur in jure civili individua, quæ tamen vel conſenſu eorum, quorum intereſt, vel juſſu prætoris, vel aliam ob cauſam diviſionem recipiunt. *Hottom. illuſt. quæſt. 18. & ſeq.* Sic tutelæ administratio eſt individua; Et tamen inter tutores ita diſtribui poteſt, ut quîsque pro ea tantum parte cogatur ſatis facere, quam geſſit, exemplo fide juſſorum *l. 1. §. ff. de tutel. & ration. diſtrah. Paul. Montan. de tutel. c. 32. regim. 9. n. 43.* inter quos obligatio pro virilibus partibus dividitur. *l. 3. C. de fidejuſſo. l. 36. 38. ff. de admin. & peric. tutor.* Et ſub hac claſſe conſiſtit etiam Majeſtas, quæ ſimul ſumpra cum omnibus ſuis partibus, uuum quid conſtituit, quod eſt totum potentiale, quod vocant, indiviſum. Ideoque plurib. in Republ. tribùi non poteſt. Nihil tamen prohiber, quin partes in hoc toto unitæ, ſeceni & diviſim inter plures diſtribui poſſint. Alia enim poteſtas eſt creare Magiſtratus, alia jubere leges, alia ducere bellum, alia rationem habere ærarij. Quæ qui coufundere inter ſe, & inſeparabilia facere velit, idem officia Ædilium. Coſs Cenſorum, Prætorum, unâ commiſceat neceſſe eſt. Quæ & ipſa in Majeſtate unita, inter magiſtratus diverſa ſunt. *Arniſæus lib. 2. de jur Majeſt. c. 1. num. 1. & potiſſimum lib. 2. Relect. polit. c. 6. ſect. 1. n. 41. & ſeqq.*

5 IIII. Confundere me, clamat, hoc in textu jura Majeſtatis, cum ipſa Majeſtate. ſed ſeipſum confundit, & confusè neceſſe eſt legerit, quæ ex Arniſæo adduxi, Arniſæi enim mens non eſt, ſtatuere Majeſta-

tem

tem interplures dividi posse, sed hoc vult, quòd in majestate unitum est, extra majestatem divisionem recipere, ita ut uni dari possit, hæc, alteri altera potestas.

V. Addit, jura Majestatis, ejus non esse partes constituentes, sed effecta. ℞. Utrumque sunt, diversa consideratione. Si Majestas, ut totum potestatiuum, sive potentiale, metaphysicè consideretur, partes habet, quæ alio nomine jura Majestatis dicuntur. Totum enim potestatiuum, sivè potentiale est, quod habet ordinem ad plures operationes, que ab ipso emanant. Sic anima rationalis est simplex substantia, sed multiplex potestate & facultate. Quia licet non habet partes componentes, dividitur tamen in duas facultates, intellectum & voluntatem, quæ unitivè in ipsa continentur: ita, ratione objectorum & operationum, intellectus dividitur in theoreticum, practicum, & Poeticum. *Alstedius. Tom. 3. encyclopæd. lib. 11. Metaphysica part. 1. cap 24. de toto & parte p. 600.* Quod si vero Majestas logicè consideratur, jura Majestatis ejusdem effecta, non partes erunt. 6

VI. Minus rectè me applicasse illam distinctionem Metaphysicam, ex meis verbis patere, ait. ℞. Minus recte dicit eam applicationem â me factam, & verba mea esse, cum contextus Arnisæi sit, quem etiam ibidem allegavi, ut lectori constaret, me aliena pro meis non venditare. Maluit autem VVizendorffius me pulsare, quam Arnisæum, sed frustrà. Stat enim adhuc sententia, stat distinctio, stat probè facta applicatio: Quæ si minus recte facta fuisset, Arnisæus culpam lueret, non Limnæus insons, qui docto & perito in arte credidit, quod jura volunt *arg. l. 12. ff. de statu hom. l. 1. in pr. ff. de ventr. inspic. Guido Papa decis.* 277. & expresse Tiber. Decian. *cons.* 8. *n.* 169. in gravibus innitens auctoritati alicujus docti viri, quamvis erret, excusatur. 7

VII. Multa Majestatis jura communicasse Imperatorem cum statibus Imperij. &c. Vult Wizendorffius, Imperatorem statibus, ut singulis communicasse jura Majestatis, aut ut universis: si hoc agit, fallitur. Status enim, universim sumpti, Majestatem, quæ alias realis dicitur, habent, repræsentant enim totum Imperium; & Imperator Majestatem, quam personalem vocant, ab illis tenet, cujus exer- 8

citium

citium legibus fundamentalibus, potiſſimum autem capitulatione, varié limitatum; ut & eadem, multa jura ſtatibus reſervata videmus, ubi conceſſioni Imperatoriæ locus nullus relictus eſt. Si ut ſingulos conſiderat, verum eſt Imperatorem quemque ſuo tempore, ſecundum poteſtatem, quam quisque ab Imperio accepit, jura majeſtatis huic vel illi ſtatui communicare potuiſſe, nonnulla etiam communicaſse, non ſtatibus ſolum, ſed etiam alijs, qui ſtatus non ſunt, ut videre eſt in jure cudendi monetam (quod inter effectum Majeſtatis VVizendorff. hac concluſione retulit) in capitulatione Ferdinandi 2. §. 33. Wir ſollen vnd wollen auch. & Ferdinandi 3. §. 37. Ut ut verò multa, multi ſtatus, Imperatorum conceſſione obtinuerint,
9 ſunt tamen ex illis non pauci etiam, qui præſcriptione temporis, conſuetudine & uſu, jura majeſtatis ſibi acquiſiverunt; vel cum libertate & juribus ſuis ad Imperium ſeſe acceſſiſſe gloriantur. unde, non ineptè, inter privilegia & libertates diſtinguunt. *Loyſeau. litt.* 1. *des offices, ch. 9. n. 5.* Atque hos titulos, in Electoribus, jam olim Carolus 4. agnovit, in aurea ſua bulla. *tit.* 2. §. *& quia*, ibi, ipſorum privilegia, literas, jura, libertates, conceſſiones, antiquas conſuetudines &c. Itaque non omnia jura, quæ ſtatus habent communicatione Imperatoria obtinuèrunt. Nec obſtat, quod Imperator hæc
10 omnia illis confirmet, *Aurea Bulla d. tit* 2. §. *& quia*, capitulatione. Ferdinand. 2. & 3. §. vnd inn allweg. confirmans. autem dicatur concedere *arg. l.* 130. *ff. de verb. Sign.* Id enim tunc verum, quando confirmatio eſt voluntaria, non autem quando eſt neceſſaria. *Hillig in enucleat. Donell. lib.* 3. *c.* 5. *tit D. in notis.* Hic verò a parte Imperatoris neceſſaria eſt, ut allegati oſtendunt §. §. à parte autem E-
11 lectorum, & reliquorum ſtatuum, neceſſaria non eſt, ſed voluntaria tantum. *Alexander conſil.* 33. *n.* 16. *lib.* 5. *Bertrand. conſil.* 193. *n.* 9. *lib.* 5. *Bertazz. conſil.* 27. *&* 28. *in civil. Surdus conſil.* 419. *n.* 16. inde licet eorum privilegia, immunitates, libertates, & jura, ab omnibus Imperatoribus ſucceſſivè confirmata non fuerint, nihilominus valida & firma ſunt, quando ſemel legitimè acquiſita, & uſu continuata. Ut autem ſuperabundans cautela non nocet, ita etiam confirmationes Imperatoriæ ſine effectu non ſunt, ſed ipſum Imperatorem aſtringunt,

stringunt, nequem suo jure & Privilegiis uti impediat, sed potius abs- 13
que dolo, gratio sè teneatur promovere (*ut verba A. B. d. t. 2. §. fin. sonant*) & protegere, Handhaben/ Schutzen vnd Schirme. Zu dictis, capitulat. §. 3. Jllud quoque hîc silentio prætereun- 14
dum non est, Imperatorem solum, citra consensum statuum, ex non statu statū facere non posse. *Gail, 1. observ. 21. n. 2.* nec pro libitu quælibet jura statibus communicare posse, sed in quam multis consensu Electorum opus habere, ut capitulationis Ferdinandi. 3. Augustissimi Imperatoris hodierni tenor innuit. §. 20. 21. 25. *potissimum autem 37.*

VIII. Multa jura majestatis Imperatorem cum statibus communicasse, adeò ut ea non nisi cum assensu, & consensu Statuum ex- 15
ercere possit. Ut videre sit ex capitul. Cæsarea: & clausula in Imperij Recessibus usitatissima, Darüber Wir vns mit Jhnen / vnd Sie hinwider mit vns verglichen. ℞. Multa hîc incongrua paucis verbis ingerit author.

I. Jnquibus Majestatis juribus, status cum Imperatore ita con- 16
currunt, ut ea non nisi cum assensu & consensu statuum exercere possit, in illis non vi communicationis Imperatoriæ, sed vi reservati concursus, per leges fundamentales, atque adeò ex majestatis realis jure, hoc habent status. Etenim eo ipso dum majestas Imperatori conceditur, limitatur, & hac lege transfertur, ut vel soli Electores, vel cum illis cæteri status, cum Imperatore in exercitio nonnullorum jurium Majestatis hoc modo concurrant, ut illa non aliter, quam cum consensu, & assensu eorum exercere possit: hoc ergo in actu Imperator accipit, Status autme dant, & comunicant ut ex capitulationibus sole clarius apparet.

II. Postquam verò Imperator Majestatē à statibus accipit, quod statuum uni vel alteri concedit, aut privativa, & abdicativa, ut loqu- 17
untur, concessione, aut cumulativa fieri præsupponendum est. Jura Majestatis planè abdicativè nulli concedere potest, fieret enim

 homicida

homicida suæ potestatis, & desineret esse talis, qualis esse debet; Majestatem autem ipsam, certas ob causas solum, in manus eorum resignare potest, â quibus accepit. Iura majestatis quæ cumulativè concedit, salva majestate sua concedit, & omnia integra habet, indequè ea exercere potest, non adhibito consensu, aut assensu, ejus status, cui concessio facta. Res clarior exemplo erit: Imperator concessit Archiducibus Austriæ, inter alia, etiam jus creandi Comites, Barones &c. Eo non impediente, Imperator ipse potest Comites & Barones creare, non adhibito consensu & assensu Archiducum Austriæ.

18 5. Si ex Capitulatione, & communi clausula, Recessibus Imperii addita, probare vult positionem suam, frustra laborat; si autem eadem demonstrare anhelat, Imperatorem multa majestatis jura, non nisi cum assensu & consensu Statuum exercere posse, à vero non aberrat: sed ita tantum partem unam ennunciati stabilire poterit, alteram, & totius connexionem, non poterit.

19 IX. Valeat igitur Johannes Limnæus &c.) valeat Wizendorffius, qui me valere jubet, inquantum valere potest; Sitque ei mens sana in corpore sano.

20 X. Ait: Itali discursus potius pro nostra sententia facit. Acceptamus enim, administrationem debere esse conformem administranti.) R. Itali, hoc est Fabij Albergatis, discursus, Bodinum impugnat, qui Statum Monarchicum aristocraticè &c: administrari posse statuit. Cum autem ReinKingius *de Regim secul. & ecclesiast.*
21 *lib.* 1. *class.* 2. *c.* 2. *n.* 105. Bodini sequatur opinionem, rationes Albergatis in hunc quoque pugnabant. Acceptat easdem & proveris agnoscit Wizendorfius, ergo â Bodino discedat necesse est, & indefensum linquat simul nobilissimum clientem suum ReinKingium,
22 cujus Patronum suapte sponte se constituerat, turbato rerum ordine. Qualis enim ReinKingius sit, qualis Wizendorffius, ex utriusque scriptis abundè patet; sed accidit illi, quod alijs qui amplius sperant in facultatibus esse, quam in illis est, *ut loquitur Cajus in l.* 10. *ff. qui & à*

quibus

quibus manum. & Justinianus in §. 3. Justit. quibus ex caus. man. non licet. Unde cum Ovidiano fortassis.

Qui modo Patronus, jam cupit esse Cliens.

XI. Quod patet ex variis elogiis quibus ornantur in A.B. cumprimis extit. 26. § werren aber &c.) R. 1. cur potius ex elogijs, quæ Electoribus tribuuntur, eorum Potestatem in administrando Imperio, probare voluerit, quam ipsis ex textibus, præsertim Capitulationis Cæsareæ, rationem non invenio. 2. Nec perspicio cur amaverit potius allegare §. germanicæ editionis A. B. quam latinæ, cum tamen tenorem Paragraphi latinè exposuerit; & infra *concl. 7.* latina editione utatur aliquoties. 23 24

XII. Maximè verò Electorum dignitas conspicitur in decreto illo Cæsareo de dato 27. Julij. Anno 1590.) R. Cui bono hic agere de dignitate Electorum, postquam non de illa, sed de potestate eorum in administratione Imperij disputatur; de qua in hoc decreto, nec vola, nec vestigium. 25

SECTIO. V.

Respondetur Bodino, & Cæteris, supra sect. 2. denominatis.

1. *Quid dicendum antiquissimum*
2. *Mixtio gubernationis Statuum quam Bodinus docet, cerebrina est.*
3. *Et nunquam extitit, ipso Bodino teste.*
4. *In formanda gubernatione tria ponderanda esse.*
5. *Quæ esse præsumatur voluntas gubernantis.*
6. *Potestas gubernantis aut est libera, aut coarctata.*
7. *Quomodo voluntate libera uti debeat.*

 8. *Bodini*

8. Bodini Testimonium in semet ipsũ
9. Unde administratio status, nomen & formam suam habeat.
10. Declaratio rei per exemplum.
11. Curtius Ruffus ex se natus.
12. Quid dicendum si gubernantis voluntas quoad administrationem status limitata sit.
13. Bodinus adducit in exemplum Atheniensium gubernationem.
14. Item Reipubl. Romanæ post exactos Reges.
15. Sed his non probat id, quod erat probandum.
16. Kerkermanni opinio de statu Reipubl. Atheniensis.
17. Qualis sit Status Reipubl. Belgicæ.
18. Tradita à Nordermanno quatenus admittenda sint.
19. Quid Alstedio respondendum sit.
20. Aristotelem non esse primum au-
21. thorem Distinctionis inter statum, & administrationem status.

1 NE taciturnitate nostra Bodini discursum, ut & reliquorum, quos supra *sect. 2.* produximus aprobare videamur, exprimere hic libet, quid animo feramus. Licet verò omnis novitas suspecta alijs sit, & antiquissimum proverissimo habeatur, attamen generalia hæc tanti non sunt, ut Bodino obiicienda putem. Præsertim cum inter non nullos lisſit, quid antiquissimum dici mereatur Antiquitas seculi, juventus mundi, profectò sunt nostra (*inquit Fr. Baro de Verulamio, de dignit. & augmentis scientiar. lib. 1. p. 38.*) antiqua tempora cum mundus jam senuerit, non ea, quæ computantur
2 ordine retrogrado, initium sumendo, â seculo nostro. Hoc autem initio notandum venit, Bodinum, in abstracto, & in Republica cerebrina, ita miscuisse statum gubernationis, qualis in concreto a rerum primordiis nec fuit, nec usque ad finem ullibi dabitur, quod ex parte ipsemet Bodinus fassus est. *lib. 6. de Republ. c. ult. p. 1211. n. 773.* & in totum *lib. 3. c. 3. p. 455.* quando scribit; in universum munera tribuuntur ex virtute, acprudentia cujusque, vel ex opibus, vel ex nobilitate, vel ex his interse conjunctis: nulla est enim Res publicatam barbara quæ nullam harum rerum intribuendis muneribus rationem sequatur.

4 Ut cunctis in negotijs ad voluntatem, potestatem, & utilitatem

respicien-

respiciendum, ita etiam in gubernatione Reipublicæ, inter cætera, vel maximè hæc tria expendenda veniunt. Ponderandum itaque est an Rex, vel Princeps velit gubernationem status aliam esse, quam natura, & conditio ipsius gubernantis per Leges Imperij fundamentales facta est. Sanè, id præsumendum non esse, nos firmant ea quæ ex Fabio Albergate in opere nostro, & illa, quæ supra Sectione 5
Tertia adduximus. Accedit quod Monarcha Monarchiæ optimè consulere velle præsumatur, quod melius fieri administratione monarchica poterit, utpote quæ ex natura rei fluit, quam ulla alia, quæ aut opposita, aut contraria rei naturæ est, & eam vel alterat, vel temperat.

Potestatem, Rex, vel Jmperator, circa gubernationem Reipub- 6
licæ, vel liberam habet omninò, vel coarctatam. Si liberam, ea tamen semper talis esse debet, quæ utilitati Reipublicæ, ut & formæ, quam ipse status elegit, convenientissima sit. Talis si fuerit, omnes Monarchæ 7
actiones monarchicæ, & potius ad conservationem ejus formæ Reipublicæ, quam ad alteratione ejusdem, directæ erunt. At si Rex omnia imperia, sacerdotia, & Curationes, omnibus ex æquo distribueret, utilitati Reipubl. non consuleret, nec justè ageret, sed formam Reipubl. mutationi expositum iret. Quod Bodino, nemo felicius, quam ipse Bodinus demonstrabit. Jta autem ille *d. lib. 6. de* 8
Rep. c. ult. p. 1211. n. 773. Js igitur populariter regnabit, si omnibus subditis omnia imperia, magistratus, honores, vicissim, aut sorte, nulla virtutis habita ratione, communicare volet. Jdem si Nobilitati tantum, aut locupletissimis quibusque, imperia, Sacerdotia, curationes, semotis tenuibus concedet, nulla virtutis ratione inspecta, aristocraticam gubernandi rationem sequetur, aliquantò meliorem, quam sit illa popularis, & turbulenta, quæ Vixusquam gentium reperiatur: hæc verò tolerabilior est, ac stabilior: quoniam princeps cum Patritijs, & iis qui nobilitate & opibus florent. facilius copulatur, quam cum opificibus ac fece plebis, cum qua vix ullam societatem, si decus Imperii ac Majestatem tueri velit, contrahere potest: ut necesse est, si summos infimis inpetitione magistratuum

 exæquabit.

exæquabit, Hæc tamen Regni gubernandi ratio, non modo Plebi, ſedetiam Principi, ac nobilitati pernitioſa eſt; quoniam utrique a plebe, quæ ſemper eſt innumerabilis, metuendum eſt, quo fit, ut ſeditioſum nacta Ducem, ſervile jugum excutiat, & Principem cum nobilitate de Imperio deiiciat, ut ante ſæpè contigiſſe propoſitis exemplis docuimus, cujus rei perſpicua cauſa eſt, quòd principi quidem cum optimatibus conſociatio eſt, cum plebe nulla; ut planum fit his tribus numeris 4. 6. 7. Primi ad ſecundum ſesqui altera ratio, diapente quidem efficit concentum jucundum per ſeſe; ſed Tertius nulla rationis ſuavitate cum prioribus conjunctus, ſuperiorum concordiam omnino labefactat. Sed fieri poteſt, & ferè fit, ut Princeps ad ſummos honorum & Imperij gradus, ſummæ nobilitatis viros provehat, mediocres honores mediocribus, infimos infimis geometrica lege tribuat; quæ ratio gubernandi tolleranda quidem eſt ſi eo, quem quærimus concentu vacat. Hactenus dicto loco Bodinns. Et iterum idem de Republ. *c. 5. ad fin. p. 869.* quibus honores conferendi ſint totidem in culcat verbis: ad honores gerendos optimum quemque muneri gerendo maximè idoneum creare oportet, ac bellica imperia ſtrenuiſſimis, quæſturas & ærarij curam, minimè omnium avaris, judicia juſtiſſimis, cenſuram integerrimis, laborem robuſtiſſimis, gubernacula prudentiſſimis, pontificatum religioſiſſimis tribuere, ſic tamen, ut ordinum, ætatum, fortunarum, & meritorum cujusque ratio diligens habeatur.

9 Hæc, aut fallor maximè, figmenta Bodini abunde detegunt, & revellunt. Siquid verò iſtis de noſtro addi debet, hoc unicum eſt, quod adminiſtrario Status, formam & nomen ſuum non mutuetur ab illis qui vicariam, aut ſuccedaneam operam Monatchæ, in adminiſtratione Reipublicæ præſtant, ſed â primo dirigente; non ergò adminiſtratio, quæ in illo, ſecundum naturam ejusdem, monarchica, in his ariſtocratica fieri, aut eſſe poterit. Quod enim ſuo nomine exercere natura ptohibetur, id nec per ſubjectas perſonas agere debet. *l. 1. §. 1. ff. de adminiſtri rer. ad civit. pertint.* Et vulgatum eſt acceſſorium, ſequi naturam ſui Principalis.

Fingamus

Fingamus nunc facto evenire, ut nullus ex Patritijs vel divitibus, vel fortibus, vel studiosis (tot enim Bodinus nominat) inveniatur in Republica aptus ad honores, & magistratus; Regem ergo, Imperatorem aut Principem, alios ex plebe virtuosos, ingenio, & cæteris ad munera obeunda necessarijs, quasi ab ipsa natura formatos, ad honores & magistratus evehere, administratio proinde popularis non erit. Nec enim a plebe, sed ex eadem ad administrationem vocati, nec amplius plebei, sed ejus quisque ordinis erit, qualem voluntare Principis, dum ad superiorem sellam, vel sub sellia evectus fuit, nactus est. Inde optimates, non plebeii, *arg. l. 3, circa fin. ff. de offic. Prætor.* 10

Curtius Ruffus, quem gladiatore genitum quidam prodidere, Præturam principis sufragio assecutus est, cum hisce verbis Tiberius dedecus natalium ejus velavisset, Curtius Ruffus uidetur mihi ex senatus, ut Tacitus refert *lib. 11. annal.* Idem alijs accidere potest, qui fortunam matrem habent, quamvis infima ex plebe nati. 11

Secundo casu, ubi Regis potestas, circa gubernationem Reipubl, limitata, administratio legibus naturæ status conformis stabilita est, quas Rex ad amussim obsetvare tenetur, unde pro placito, cuj velit, administrationem, & aliam quam convenientem Reipubl, concredere haud potest: Ibi igitur Chaos Bodiniani Regiminis locum non inveniet; aut si ullibi invenire potest, in mixta Reipubl: forma erit, non in simplici. 12

Exemplis quidem Bodinus particulam enunciati sui demonstrare satagit, quando Atheniensium gubernationem, ex Aristidis justi rogatione, maximè popularem, in Statu Populari fuisse asserit, cum civibus omnibus ad omnes magistratus aditus patuerit, nulla census, aut nobilitatis prærogativa, contra quam lege Solonis cautum, ut in ttibuendis honoribus, & Imperiis ratio census haberetur. Item quando statum Romanum exactis urbe Regibus, po- 13 14

pularem

pularem fuiſſe, rationem verò gubernandi civitatis alieniſſimam a populari, cum Patricij ſacerdotijs, imperiis, honoribus, ſenatoria dignitate, ſoli fruerentur, plebeis aditu omni ad impetia interclu-
15 ſo. Verum neutro probavit, quod ipſi probandum erat. Debebat enim probare adminiſtrationem ſtatus, nomen & formam ab illorum qualitate accipere, qui adminiſtrationi præficiuntur, non autem ab illis a quibus, & qua cum poteſtate, vel adminiſtrandi modo & licentia præficiuntur. Certè ſi machinam ad opificis ductum & præſcriptum varij regant, ab ipſis quidem motus eſt communis, non autem modus, qui lentus eſſe poteſt, ſi opifici ita commodum viſum, licet operatij aliàs manu & natura prompti ſint. Ita etiam in adminiſtratione Reipublicæ uſu venit, ut non ad qualitatem indiuidui, ſed ad modum adminiſtrationis, quem ad ductum & præſcriptum primi moventis, vel moventium, exercere debet, reſpiciendum ſit.

Cætetùm Athenienſis Reipubl. Statum, ſeu formam, ſi Bo-
16 dinus tempore Solonis popularem purum fuiſſe arbitratus eſt, conttadicentem habet Keckermannum *in diſputat. politica ſpecial. Tertia, quæ eſt de Republ. Atheniensi. lib. 2. c. 1. canone 7. p. mihi* 161. Reinkingio, qui Belgiæ ſtatum exempli loco ad duxit, idem reſponderi poteſt, quod modo a nobis Bodino: Et adhuc de hoc ſtatu, inter reliquos Europæ recentiſſimo, qualis ſit, autores variare.

17 Keckermannus, poſtquam de reſtrictiore Democratia *in ſyſt. polit. lib. 2. c. 3. p.* 554. locutus addit. in Belgio quidem, ex omni ordine eliguntur ſtatus, ſed ita tamen, ut habeatur ratio magis jdoneorum, reliquis non abnuentibus. Buſius verò *lib. 2. de Republ. c. 5. n.* 1. Statum provinciarum Belgicarum Ariſtocraticum aſſirmat.

18 Nordermannum ita admitto, ut Imperii adminiſtratione mutata, ſtatum in prima noſtra ſignificatione acceptum, immutatum non agnoſcam, ſed in ſecunda maximè.

Al-

Alstedius nullam allegat rationem, inde in eundem responsio 19
nulla specialis, sed quæ supra generaliter dicta sunt, ei quoque reponi possunt.

An Bodinus primus author distinctionis inter statum & ejus 20
administrationem fuerit, an alius, animum meum non angit, Aristotelem vero de eadem *lib 4. polit. c. 5. 23.* verba fecisse, non patior mihi persuaderi. Textus ita habet: Nec latere nos debet, quod multis locis accidit, Rempublicam, quæ secundum leges non sit, popularis, more tamen & gestione populariter gubernari. Similiter autem è converso apud alios contingit, Rempublicam secundum leges esse popularem, moribus tamen, & gestione ad paucorum gubernationem magis referri, Contingit autem hoc maximè, post mutationem Rerum publicarum. non enim statim mutantur, sed contenti sunt ab initio homines parva accessione Potentiæ. Itaque lege quidem manent, ut prius erant: prævalent tamen, qui Rempubl. mutaverunt.

Percipimus hîc, Aristotelem opponere consuetudinem, vel 21
morem & gestionem ipsam, legi, hoc est, factum juri. Moribus a lege in gubernatione aliquando receditur, & dum receditur, leges non observantur, ac fit Reipubl. mutatio. Conferat hæc cui otium & voluntas est, cum Bodini distinctone, & experietur ipsum plane alios elegisse terminos.

SECTIO VI.

An status Reipublicæ nequeat; adminnstratio autem misceri possit.

1. *Cur Status misceri nequat, Secundum Wizendorffium.*
2. *Author respondet per distinctionem.*

3. *Plures hodie Status mixti reperiuntur, quam simplices.*

4. *In mixtione ad quid respiciendum.*

5. *Respubl. libera formam regiminis eligere potest, quam voluerit,*

6. *modò non eligat impossibilem.*

7. *Mixtio formarum natura impossibilis non est.*

8. *In mixtione formarum Republ. una ex illis semper præponderat.*

9. 10. 11. *Mixtio ista, quo nomine exprimenda.*

12. *Argumentatio Wizendorffij.*

13. *An mixtione fiat communicatio?*

14. *Majestas quo sensu dici possit communicabilis.*

15. *Argumentatio Wizendorffij examinatur.*

16. *Unde forma Reipubl. cognoscatur.*

17. *Majestas an una maneat, si apud plures resideat.*

18. *An alia sit majestas in statu mixto, quam in simplici.*

19. *Majestas summa est, licet apud plures sit.*

20. *Wizendorffii opinio quatenus admittenda.*

1 WIzendorffius *conclusione* 3. ait, impossibile esse statum misceri; Majestatem enim ut summam & unicam potestatem, non esse communicabilem, & per consequens, non miscibilem.

2 Ego ex sectione prima ita statuo: Status, primæ significationis, misceri nequit. Si enim misceretur, esset ex parte liber, ex parte

te

te ſubjectus. At ſubjectionem adeo ſibi contrariam habet, ut hac admiſſa, non ſubſiſtere, ea poſita, nunquam exurgere valeat. Status autem pro forma Reipubl acceptus, miſceri poteſt, ut plures hodie mixti, quam ſimplices reperire dentur; & ex ijsdem alij tam variè mixti, (quelon eſt bien empeſchè de les definir, ou leur donner un convenable nom. *Louys. de Mayerne Turquet en la Monarchie Ariſtodemocratique liur. 2. p. 68.*) ut non minimus ſit labor, eos definire, & convenienti nomine donare. 3

Prolixus non ero, quoniam intereſſe meum hic principaliter non vertitur: Reſpiciendum tamen iterum ad poteſtatem eorum, qui ſtatum mixtum eſſe volunt, & ad poſſibilitatem, hoc eſt, an ea mixtio, quam volunt, poſſibilis ſit per ipſam rei naturam. 4

Voluntatem ſtatus liber liberam habet, qua formam Regiminis pro libitu ſibi eligere poteſt, quam voluerit, etiam illam, quæ nec durabilis, nec ſibi conveniens. Unde videmus non nullas Reſpublicas in infantia ſua, vel tenella ætate mutaſſe formam, quod ab initio illa ſtatui non ſatis conveniens electa; vel poſt aliquot intervalla temporis, adulta ætate, propter cauſas noviter emergentes. 5

Ut autem, in homine libero, libertas dicitur eſſe naturalis fafacultas ejus, quod cuique facere libet: niſi ſi quid vi, aut jure prohibeatur: ita etiam in Corpore libero Reipublicæ libertas vi, & jure impoſſibilitatis prohibetur facere ea, quæ natura, & ars, naturæ æmulatrix, fieri negavit. Nec enim poteſt quadrata mutare rotundis, quod inter ſublunares ſoli Pontifici adſcribunt adulatores, quamvis malè, ſecundum Accurſium, 6

Natura verò rerum, vel artis, non negavit miſceri cum monarchia ariſtocratiam, cum hac Democratiam, ut nec omnes inter 7

ſe miſ-

ſe miſceri prohibuit. Quid enim obſtat, in una eademque Republica majeſtatem perſonalem, quoad nonnulla, ab uno repræſentari, quoad alia verò, ab eo & optimatibus.

8 Quamquam hoc ferè neceſſariò ſequitur, ut in mixtionibus illis, una e Formis Rerumpubl. præ alijs emineat, nec ex illis Temperamentum æquale ad pondus, ut Phyſici vocant, quod omnis exceſſus expers eſt, oriatur.

9 Jn hac mixtione præponderans qualitas, excluſo reſpectu, an extra mixtionem nobilitate alteram vincat, vel ab ea vincatur, populariter formæ nomen imponit. licèt, exactè loquendo, exprimere conveniens ſit mixturam ipſam, ut verè & diſtinctè appareat tota formæ qualitas. Vulgò ſæpius Monarchia dicitur, cuj aliquid Ariſtocratiæ ita admixtum eſt, ut hæc illa vincatur. Rectius tamen dixeris, Monarchiam ariſtocratia mixtam, eo temperamento, ut Monarchia potior ſit.

10 Jta ſi Ariſtocratia in ejusmodi mixtione præponderet, Monarchiæ nomen, quod alijs, cum forma, quam notat, nobilius cenſetur, malè illi attribuitur; ſed iterum rectius, ſi ſpecificè exprimatur, quæ qualitas aliam ſuperet. Non enim Monarchia ejusdem virtutis eſt, cujus aqua benedicta, quæ non benedictæ commixta, benedictionem ei impertiri dicitur. *c. quod in dubijs. de conſecrat. Eccles. vel altar. ut* inde tota benedicta dici poſſit. Nec jdem in-
11 formis Rerumpublicarum, receptum, quod in re monetaria ubi (quoyque l or ou l argent ſoient alliez en fort petite quantitè auec des autres metaux, ils donnent ne ant moins leur nom a la piece, encore que elle tienne fort peu d or, ou d argent: *Sauot. au diſcour de medailles. part i. ch. 13. p. 98*) licet aurum & argentum exiguæ quantitatis, cum alio metallo mixtum ſit, nomen tamen imponit nummo, ut aureus, vel argenteus dicatur.

Obſtare

obſtare ſententiæ noſtræ putat Wizendorffius, quòd Majeſtas, ut ſum-
ma & unica poteſtas, non ſit communicabilis, & per conſequens nec mi-
ſcibilis. Argumenti forma hæc erit; quod nõ eſt communicabile, idem
quoque non eſt miſcibile. Majeſtas non eſt communicabilis. Ergò nec
miſcibilis. Majoris nullam addit probationem; videtur tamen innu-
ere, quòd communicatio ſit, vel eadem fiat, mixtio. Quod mihi gene-
raliter verum non videtur, uti nec credo mixtionem aliter fieri non poſ- 13
ſe, quàm communicatione. Mixtio enim etiam tunc fieri dicitur, quan-
do ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant, ſine ulla communicatione.
§. 28 *Inſt. de rer. diviſ. l. 5. in pr. ff. d. R. V.* Ita etiam nonnullæ actiones
mixtæ dicuntur, vel quòd tàm in rem, quàm in perſonam ſint. § *quædam
actiones 20. Inſtit. de action.* vel quibus partim pœna, partim res petitur.
§ *Vi autem bonor. 19. eod tit.* vel quòd in illis uterquè actoris & rei partes
ſuſtineat. *l. 37. § 1. ff d. O. & A.* in quibus mixtionibus, an & quid una a-
ctio alteri communicet, aliis dijudicandum relinquo. Minor quo- 14
què reſtrictione indiget, nec ſimpliciter verum eſt, Majeſtatem com-
municari non poſſe. Majeſtas enim realis, ei, quem ſtatui, ita præ-
ficit, ut ejus caput ſit, Majeſtatem perſonalem communicat. Nam &
hoc communicatum dicitur, quod quis ab alio habet. *Alſtedius tom. 3.
encycl. lib. 11. part. 1. c. 41. p. 619.* Ita Auguſta Imperatoris Conjunx, hodie
compellatur nomine Majeſtatis; quam ſi habet, per communicatio-
nem habeat, neceſſe eſt. Sed ſepoſitis his omnibus, victor tamen non- 15
dum eſt antagoniſta noſter, nondum enim illationis vim dedit: Maje-
ſtas miſceri nequit, ergò nec formæ Rerumpublicarum. Majeſtas enim
perſonalis, & forma Reipubl. non idem plane ſunt; aut ſi ſunt, mortuo
eo, qui hanc tenuit, forma ceſſabit, & quoniam adminiſtratio non ceſ-
ſat, ea ſine ſua forma informante erit, & effectus ſine cauſſa. Eâdem
ratione, ſtatu Reipublicæ mutato, mutaretur etiam Majeſtas, quod vix
credo. Credam licet, Majeſtatem, quæ in ariſtocratia apud plures fu-
it, mutato in Monarchiã ſtatu, apud unum eſſe, Ita ut adminiſtratio, vel
exercitium Majeſtatis, reſpectu numeri perſonarum, mutetur quidem,
ſed Majeſtas minimè. Hoc tamen verum eſt, formam Reipublicæ
cognoſci, cognita ſede Majeſtatis, quæ ſi apud unum ſit, Monarchiam
dicimus, ſi apud plures, Polyarchiam. Atque hinc, opinor, eſt, quod
Wizendorffius à Majeſtate, ad formam Reipublicæ argumentum du-
cit. Quicquid autem fuerit, conſequentia eſt, & manet inconſequens.

Quippe formę Rerumpub. misceri possunt, licet Majestas nõ misceatur.
17 Majestas una est, licet non apud unum solum, sed plures sit. Variè autem apud plures, quasi per concursum, esse potest, ut inde forma vel simplex appareat, vel mixta. In statu mixto, eadem est substantia Ma-
18 jestatis, quæ in statu simplici, non alia, nec plures (quia idem ejus effectus in utroq; !) licet diversimode exerceatur. Quod enim in Monarchia unus facere potest, idem facere possunt plures in Polyarchia. *argument. l. 25. ff. ad municip.* In statu mixto, unus alia solus, cætera non nisi cum aliis facere potest, quæ si eo modo peragantur, omnia ea facere possunt, quæ in statu simplici unus solus, vel plures ex æquo faciunt.

19 Nec stringit præterea, quòd Majestas sit summa potestas: Nam summa est, sive apud unum sit, sive apud plures. Numerus enim eorum, qui Majestatem exercent, collegialiter summam potestatem
20 exercent. Pergit Wizendorus, quæ ab aliis pro mixtione Reipubl. disputantur, ad administrationem potiùs (non verò statum) referenda esse. Rectè si ad metam nostram; formæ enim Reipubl. in administratione vertuntur, & status nomen obtinent. ut sect. 1. monstratum dedimus. Quæ opinio etiam Keckermanno placuit *in System. polit. lib. 2. c. 4. in pr. p. n. 560.* ubi postquam Bodini divisionem attulisset, subnectit; interim tamen non negat Bodinus, posse unam formam, alterius gubernandi ratione temperatam esse, velut Monarchia Aristocratica gubernandi ratione, vel etiam Democratia. At verò hoc ipsum est, quod volumus, nempè posse inter se temperari simplices istas Rerum publicarum formas.

SECTIO VII.

Ubi quarta Conclusio Wizendorffiana examinatur.

1. Ius talionis contra Wizendorffiũ locum habet.
2. Palatino & Saxoni, Vicariis Imperii cognitionem de feudis, immediatè Imperio subiectis, denegat W. zendorff: sed malè.
3. Feuda Imperii immediata, sunt aut nobilia, aut non nobilia.
4. Feudorum nobilium majorum quæ notæ sint.
5. 6. Quando Imperator conferat feuda nobilia, & quæ.
7 8 Quid dicendum de feudis minorib.
9. Quorum feudorum collatio Vicariis Imperii competat.

Cogni-

10. *Cognitio de feudis, quo casu Imperatori competat.*
11. *An pares curiæ ab ea excludantur.*
12. *Exceptio regulæ.*
13. *Error Wizendorffii unus.*
14 *Alter ejusdem error.*
15 *Explicatio tit. 6. A. B.*
16 *Additur textus Wizendorffii.*
17 18 *Monstratur quod sit vitiosus.*
19. *Falsum est, solum Imperatorem, in Imperio Comites, aut Barones facere.*
20, *Allegatio Wizendorffii falsa, vaga*
21 *Non determinata.*
22. *Status Imperii, verius dici Vasallos Imperii, quàm Imperatoris negat. & impugnat Wizendorff.*
23. *Nec tamen benè percipit autoris mentem.*
24 *Statuit enim autor, status Imperii esse revera Vasallos Imperatoris.*
25. *Sed verius Imperii.*
26. *Quod probat textibus.*
27. *Quos studiosè præter vehitur Wizendorff.*
28. *Status Imperii non solius Imperatoris, sed potius Imperii subditi sunt.*
29 *Wizendorffii instantia.*
30 31. *Responsio ad eandem.*
32. *Puerilis Wizendorffii clausula.*
33. *Authoris collectio.*

HIc iterum, thema quod attinet, liberas ædes habeo. Nunquam 1
enim statum Imperii Romani hodierni Aristocraticum dixi. In
exegesi autem antagonista me catamidiare volupe duxit: Quod causam
mihi præbuit, ejus invertere conatum, & talionem homini opponere. I. Scribit, solum Imperatorem de feudis immediatè Imperio 2
subjectis cognoscere, & ita quidem, ut vacante Imperio Palatinus, &
Saxo, de iis cognoscendi facultatem non habeant. *A. Bull. tit. 5. §.* Außgenommen der Fürsten Fahnen Lehen. Cujus propositionis utrumque
caput vertigine laborat. Veritas ita se habet. Feuda Imperii im- 3
mediata, non unius conditionis sunt, alia nobilia, alia non nobilia.
Nobilia, vel majora, vel minora. Majora, quæ & feuda regalia à nonnullis vocantur, notas suas habuerunt, & nonnullas adhuc habent, quibus à non regalibus facilè discerni possunt. Inter illas autem & hæc re- 4
censetur, quod si publica investitura, Laicis conferantur vexillis, si Clericis sceptro. Hæc nos docent Specula Juris Saxonici & Suevici, illud *lib. 3. artic. 60. hoc lib. 1. c. 325.* quando volunt: Der Käiser sol leyhen allen Geistlichen Fürsten mit dem Scepter/vnd allen Weltlichen Fürsten mit dem Fahnen. de quibus egregiè Hottoman. *disput. de feudis. c. 10. p. 66. & seq. & c. 23. p. 123. & seq.* Ceterùm, de omnibus his immediatis Impe-

rii feudis quæritur, 1. à quo conferri possint? 2. Cui competat cognitio, judicium & decisio in controversiis, si quæ de iisdem moveantur? Collationem, vel investituram quod attinet, diversa sunt distinguenda tempora. Aut enim Imperator in vivis, & in Imperio existit; aut extra Imperium, aut mortuus est. Si vivit, & in Imperio est, collatio ejusmodi feudorum Imperatori soli competit, & ab eo pro more, mediatè,
6 vel immediatè exerceri potest. Si extra Imperium degit, distinctione opus est. Aut enim conferenda veniunt feuda illa, so vnter dem Fahnen öffentlich mit Solennitäten pflegen empfangen/ vnnd geliehen zu werden: vel alia, quæ minora, andere vnd geringere Lehen. Illorum collatio Imperatori reservata, cujus adventus in Imperium expectari debet, per biennium, quo elapso, si adhuc emaneat, mandare debet, ut
7 ejus vice collatio & investitura fiat. Minora, sive nobilia sint, sive non, possunt pro libitu, vel ab Imperatore reduce, vel interea ab ejus vicario peti, & conferri. Ita constitutum reperio in der Röm. Königl. Majest. Regiment auff dem Reichstag zu Wormbs Anno 1521. auffgericht. §. vnd behalten vns bevor / *cum seqq, inter recessus* Imperii *p.* 107 *textus ita habet*. Vnd behalten vns bevor die Belehnung der Lehen/vnd Regalien derjenigen/die sie vnter dem Fahnen öffentlich mit Solennitäten pflegen zu empfahen / zu verleyhen. Vnnd sollen vorgemeldt vnser Stadthalter vnd Regiment/ auß redlichen Vrsachen solcher Empfängnuß / vnnd sonderlich/ob wir ausserhalb deß Reichs weren/nach Verscheinung deß ersten Jahrs/ darinn einem jeden sein Regalien zu empfahen gebüret / noch ein Jahr lang Indult vnnd Erstreckung zu geben Macht haben: Doch daß der/ dem also Erstreckung zu Empfängnuß der Lehen gegeben wird / an Eydsstatt geloben vnd zusagen / in allermassen Vns vnnd dem Reich/ von wegen solcher Lehen verpflicht zu seyn/ vnd zu gewarten / als ob er die Lehen empfangen/ vnd die Eydspflicht gethan hätte. Vnd mag er alsdann die Regalien vnd Lehen in aller massen brauchen / als ob sie jhm geliehen weren. Vnd sollen Wir mittler zeit deß obgemeldt gegebenen Indults/ deß falls/ vnd solcher gegebenen Erstreckung der gestalt erinnert vnd verständigt werden. Vnd wo Wir mittler zeit der Erstreckuug nicht ins Reich vnd Hoch-Teutschland kommen / alsdann sollen vnd wollen Wir herauß Befehl thun / an Vnser statt solche Regalia, wie sich gebüret / zu verleyhen. Aber andere vnd geringere Lehen / die soll ein jeder seines gefallens von Vns/ oder Vnserm Stadthalter vnnd Regiment empfahen/

die

die Sie auch leyhen mögen: Es were dann / daß jemand auß besondern Freyheiten / von Unsern Vorfahren außgangen / solche vnd dergleichen Lehen zu verleyhen hätte / vnnd deß inn Gebrauch were / von dem oder demselben solche Lehen empfangen werden. Hæc constitutio, licet tem- 8
poraria fuisse, ac desiisse cum Regimento videatur, attamen ratio constitutionis adhuc vigere debet (quoniam deliberato consilio & statuum assensu ex utilitate Imperii tunc visum fuit hæc ita constituere,) nisi cum tempore mutata fuerit. Casu quo Imperator mortalitatis legem implevit, investitura feudorum immediatorum, tempore eo, quo va- 9
cat Imperium, Provisoribus, hoc est, Vicariis Imperii, (qui tunc sunt Elector Comes Palatinus Rheni, & Elector Saxoniæ Dux:) & cuilibet ex illis, in sibi à lege firmato districtu, competit, feudis Principum duntaxat exceptis, & illis, quæ Fahnen Lehen vulgariter appellantur, quorum investitura soli Imperatori vel Regi Romano futuro reservata est, *per Aur. Bull. d. tit. 5.* Controversiarum quæ de feudis Imperii imme- 10
diatis moventur; cognitio & dijudicatio, quandoque Imperatori, quandoque aliis competit. Imperatori, si in Imperio, vel extra Imperium degat, competit, Wann die Sachen Fürstenthumb / Hertzogthumb / Graffschafften / etc. belanget / so vom Reich zu Lehen rüren / so einem Theil gäntzlich vnd endlich abgesprochen werden soll. & ad reservata pertinet, *d. constit.* Vom Regiment zu Wormbs Anno 1521. auffgericht. § Ob auch Sachen vorfielen. Cammer Gerichts Ordnung. *part. 2. tit. 7.* (An au- 11
tem Imperator solus, non adhibitis paribus Curiæ, hoc casu judex sit, in diversa abeunt Doctores, *ut dixi in tract. meo de jure publico lib. 2. c. 9. nu. 32. & seqq.* & urgent nonnulli magno spiritu das FürstenRecht; ex quo ve ba sunt Goldasti *in Seniore lib. 2 c. 15. n. 5.* Rex, vel Imperator teneatur controversos Regni & Imperii Principatus, & Comitatus, cum paribus Curiæ cognoscere, & dijudicare. Idque non solum in prima, & secunda Francorum familia, sed etiam ævo multum posteriori, & subsecutis Cæsaribus, observata, annotasse Tilletum, sive Tillium, *in suis memorabi-*
lib & Bignonium *in notis ad lib. 1 form. Marculphi.*) Excipiuntur 1. cau- 12
sæ feuda regalia concernentes, quibus die Fürstenthumb / Hertzogthumb / Graffschafften / etc. einem Theil nicht gäntzlich noch endlich sollen 13
abgesprochen werden. 2. Causæ, feuda non regalia, sed alia nobilia vel ignobilia concernentes. Inde lapsus Wurmserdorffii apparet satis manifestus, quando indefinitè, tàm ratione feudorum, quam qua-

litate actionum, de illis motarum; Imperatori soli cognitionē attribuit.
14 Hunc errorem sequitur alius, quando cognitionem Imperatori *per A. Bull. tit. 6. §.* außgenommen die Fahnen Lehen / reservatam somniat, & Electoribus, Palatino, & Saxoni, denegatam scribit. Etenim Impe-
15 ratorem quod attinet, aurea bulla *d. t.* nihil aliud eidem reservat, quam investituram vel collationem feudorum Regalium & Fahnen Lehen / nec non innovationem investiturarum de aliis immediatis feudis Imperii tempore vacantiæ factarum, & præstationem juramenti fidelitatis de iisdem; Cognitionem autem de feudis immediatis, tantum abest, Imperatori reservatam velit, ut etiam Provisorib. Imperii permittat. Reservationis hujus nulla ibi, & planè nulla fit mentio. Quòd verò provisoribus relicta, inde cognoscitur, quia non adempta, sed generaliter illis concessa potestas judicia exercendi; *qua de re scripsi accuratius li. 3 jur.*
16 *pub. c. 12 n. 57 & seqq.* Secundo loco Wizendorffius ait: Solus Imperator Principes, Duces, Barones, Marchiones in Imperio, solusque hos de majoribus, & Regalem dignitatem annexam habentibus feudis investiendi, & justa de causa devestiendi jus habet. Quemadmodum pa-
17 tet ex A. B. *tit. 5. & R. A. de anno* 1521. zu Wormbs. Vellem hic scire, cur post Duces non posuerit Marchiones, in sede dignitatis ordinaria? cur omiserit in totum Comites? cur denique Barones Marchionibus præmiserit? Equidem haud me fugit, disputatum olim fuisse, an Marchiones vincerent dignitate Comites, sed hodie cessare rationes dubitandi, potissimum in Germania, ubi Marchio Comiti notoriè præfertur. Quod si ergò Marchio Comitem præcedit, magis utique Baronem, qui Comitem sequitur. Regula enim est, qui vincit vincentem te, multò magis te vincit. Sunt, qui Barones dignitate Comitibus æquent, benè an malè, hic non disquiro, at is, qui sub Baronibus Comites intelligere voluerit, censuram proinde non effugiet. Quoniam Comites nomine Baronum non continentur, nisi generalissimo significatu: Quo tamen authorem nostrum haud usum fuisse, satis constat. De-
18 inde textus autoris defectum patitur, ut verba *Solusque evincunt*; necessariò enim post verba, in Imperio, aliqua Imperatoris actio exprimenda fuit. Si licet conjectura supplere mentem authoris, forrassis, facit, aut creat, sensum perfectū dabit. Falsa autem tunc erit propositio.
19 Non enim solus Imperator in Imperio Comites aut Barones facit. Nam & Archidux Austriæ (vi Privilegii, quod exhibui *lib. 5. de jure publ. c. 2. p. 40.*)

p. 40.) in terris sibi subjectis, sed tamen in Imperio, quia in eodem illæ sitæ sunt, easdem distribuit Dignitates. Quod ulterius de jure devestiendi protulit, allegatis Bullæ Aureæ textibus, haud exprimitur. Ipsa 20
quoque allegatio posterior vaga nimis est, ubi ad integrum Imperii recessum nullo expresso Paragrapho, nos remittit. Sed ejus generis ac- 21
curatæ allegationes ipsi satis familiares sunt, quia & hac sub conclusione non longe post principium, Clapmarium *lib. 5. de arcanis Rerumpublicar.* citat, & Lectoris diligentiæ committit in cætera inquirere. Inter Recessus Imperii, editionis Moguntinæ, extant de an. 1521. Wormatiæ factæ, diversi & recessus, & constitutiones, præcipuæ ex illis sunt Constitutio Regimenti, Ordinatio Cameræ, Constitutio de pace publica; & alia, nomine Recessus Imperii. Cùm autem autor noster, etiam constitutionem de pace publica, hac in conclusione, pro recessu Imperii habeat, & fortassis etiam reliquas, omninò fuisset necessarium fundamenti sui sedem determinare clarius.

Tertio, totis me oppugnat viribus, quod statuerim, status Imperii 22
verius dici Vasallos Imperii, quam Imperatoris. Miratur ille, in omnibus illis dispositionibus, allegatarum constitutionum, me non advertisse, Imperatorem copulativè conjungi cum Imperio, imò N.B. Præponi. Miror ego, tot religiosis characteribus ornatum virum, profana acie contra me pugnare decrevisse, & tam levi armatura instructum. Vidi 23
copulam, perpendi eandem, sed N.B. in illis constitutionibus non observavi: benè autem in Reinkingii tractatu de Reg. Sec. & Eccles. *lib. 1. class. 2. c. 2 n 99* At tam meticulosus non sum, ut ad aspectum N B. tanquam σκοπελισμὸν (*quo verbo* J*Cons. in l. 9. ff. de extraord. crimin. utitur*) desistam ab opere, vel à regia deflectam via, cum nec totum nesciam Alphabetum. Status Imperii, Imperatoris, atque Imperii vasallos esse, nunquam negavi; nec unquam eosdem Imperii tantum vasallos dixi. 42
Inde calumniosè audax ille sit necesse est, qui mihi hæc objiciat. Scripsi autem in hæc verba; Secundum Doctores, status Imperii verius dicuntur esse vasalli Imperii, quam Imperatoris. Si comparativus positi- 25
vum non excludit, is, qui Imperii status verius vasallos Imperii, quàm Imperatoris esse statuit, non negat, eosdem verè Imperatoris vasallos esse. Quodque verè tales sint, ad id allegavi communem jurisjurandi formulam, *à Waremundo ab Ehrenberg lib. 2. de fœd. c. 2. n. 161. expreßam.* & aliquot textus ex Imperii recessibus, quos Wizendorff. etiam recensuit:

quibus

quibus adjungo phrasin, qua utitur Maximil. I. inn seinem Schreiben wider den Papst. *apud Goldast.* in Reichssatzung p. 94. Unser Person und dem H. Reich gehorsame Lehenpflicht gethan / item, ibidem. Von Uns
26 und dem H. Reich belehnet. Quòd autem verius Imperii sint vasalli, probavi non solum per constitutiones, quæ de Reformatione Guter Policey latæ sunt 1530. & anno 1548. in utrisque tit. Von Zigeinern / ubi verbis, Bey den Pflichten / damit sie dem Reich verwandt / potentius exprimitur. (quibus nunc addo A. B. *tit. 1.* §. *statuimus.* ibi; universis aliis Principibus, feuda à Sacro Romano Imperio tenentibus, & in modò allegatis literis Maximiliani I. *d. p. 94.* Die ohne Mittel vom Reich zu Lehen rüren) sed etiam diplomate Principum Imperii. de anno 1200. *apud Goldast. tom. constit. imperial. p. 288.* §. 2. ibi, nos autem Principes, qui jam dictũ Dominum in Regem elegimus, feuda nostra, quæ ab Imperio tenemus, à manu ipsius recipientes, hominium sibi fecimus, & fidelitatem juravimus: nec non constitutione Ruperti *de Vicar. Imperii Germ.* §. 4. *apud eundem Goldast. tom. nu. constit. Imperial. p. 382.* ubi dicitur, quòd hæc feuda ad Imperatorem ratione Imperii pertineant. Hos textus studiosè
27 Wizendorffius omisit, nec aliter quàm remissivè tetigit, quò melius lectorem contra me ciere posset. Quod ego respectu feudi, idem alii respectu subjectionis pronunciarunt. Besoldus *dissert. de statu Reipubl.*
28 *mixto. c. 2 n. 7.* ait: Principes, Comites, aliosque Imperii status, non propriè dici subditos (solius) Imperatoris, sed potius Imperii subditos & membra. Ita ut Imperator solus, ob delictum aliquod, eos beneficiis & privilegiis privare, aut Imperii banno subjicere non possit, nisi re in Comitiis publice deliberata, præcipuè si ex ea condemnatione periculosi motus in Imperio sint metuendi. *allegans* Nicol. *Betsium de pact. familiar. fol. 448.* Donawertische *information fol. 42. Bernh. Zieriz tract. de prærog. Princ. h. 7.* quibus, posteriora quod attinet, normæ instar addi debet, §. 30. Wir sollen und wollen. Capitulat. Ferdinan. 3. Imperatoris nostri Augustissimi, cui vita & salus sit. Cum Besoldo quoque consentit Joh. Jacob. VVinther *dissertat. de Republ. (quæ reperire datur tom 4. disp. Basil.) thes. 236*

29 Pergit antagonista, Imperatorem copulativè conjungi cum Imperio: idque non tantum inveniri in constitutionibus illis dictis, ubi præsens fuit Imperator, sed & in illis, quæ consignatæ sunt, ab ipsis statibus Imperii, absente Imperatore, quo de videndum R. A. de anno 1525. *circa finem pr.* & R. A. zu Eßlingen / de anno 1526. *in pr.* ibid. Und

also

also mit Fleiß vnd Trewen thun vnd handeln sollen / als sie der Käyserl.
Majestat / vnd dem H. Reich verwandt vnd schuldig seyn / & ibid in §.
nach dem. cum multis similibus.

Respondeo; me non percipere emphasin majorem hujus con- 30
junctionis, quod ea etiam in illis constitutionib. Imperii reperiatur, quæ
Imperatore extra Imperium degente confectæ sunt. Absentia ejus, cui
quid debetur, debitum nec imminuit, nec tollit. Illud autem à veritate
rei gestæ alienissimum est, quod illas constitutiones, quas allegat, con-
signatas (ipsius phrasi utor) esse scribit, ab ipsis statibus Imperii, absente
Imperatore. Licet enim Imperator tunc temporis absens fuerit, atta-
men constitutiones istæ, non solum ab ipsis statibus, verum etiam à Vi-
cario & Commissariis Imperatoris factæ sunt. Recessus de anno 1525.
circa fin. princ. planè nihil ad propositam quæstionem confert, ubi de fi- 31
delitate quàm Imperatori & Imperio, status debent, agimus. Formalia
enim hæc sunt: Zu vollziehung helffen bringen / vnd sonderlich / daß der
Röm. Käys. Majest. dem H. Reich / vnd vnserm Christlichen Glauben
zu Ehr Auffnemen vnd Wolfart / auch dem gemeinen Mann zu Fried
vnd Einigkeit kommen vnd gedeyen möge. Quemadmodum verò ad- 32
versarius malè propositionem meam ponderavit, malè suam propugna-
vit, ita etiam puerilem admodum denique admovit clausulam. Per
Deum immortalem, inquit, quæ nam hæc consequentia? Status Impe-
rii ita jurant, Dem Röm. Käiser vnd dem Reich hold vnd gehorsam zu
seyn. Ergo Status sunt vasalli, non Imperatoris, sed Imperii. Ego per im-
mortalium, & mortalium omnium fidem juro, Wizendorffii unius ex-
cepta, me hujus enthymematis nec authorem, nec susceptorem esse; sed
illud aliam quam meam officinam redolere. Ita autem ego colligo: Sta- 33
tus Imperii jurant, dem Röm. Käiser vnd dem Reich trew / hold vnd ge-
wehr zu seyn. Ergò status Imperii sunt vasalli Imperatoris & Imperii.
Et iterum ita: Status Imperii, à manu Imperatoris recipiunt feuda, quæ
ab Imperio tenent; & jurant Imperatori fidelitatem von deß Reichs we-
gen / Ergò verius sunt vasalli Imperii, quàm Imperatoris.

Sectio VIII.

*In qua examinatur quinta Conclusio Wizen-
dorffiana.*

I   1. Author

48. Le-

48. *Leges de disciplina militari in comitiis Ratisbonensibus anno 1641. latæ, nunquam observatæ.*
49. *Aristarchi conatus malitiosus.*
50. *Imperator non est imperii dominus, sed administrator.*
51. 52. *Explicatur per Recessus Imperii de anno 1559.*
53. 54. 55. *Imperatorem Imperii tantùm administratorem esse, qui doceant.*
56. *Imperator an suo, an verò alieno nomine administrator imperii sit.*
57. *Aliorum distinctio.*

ANtequam ad principalem quæstionem me accingam, veniam ab 1
Imperatore augustissimo juxtàq; omnibus imperii Statibus submissè peto, si quæminus aptè dixero. Mallem adorare utramque Majestatem, quam de eadem verba facere. sed adversarius mihi hoc imponit onus, & libera conditio, qua fruor, liberam vocem requirit, quam citra cujusquam præjudicium exprimere aggredior. Wizendorffius 2
Statum Imperii Romani hodierni purè Monarchicum esse asserit. Rationem addit; quia in Republ. Romana Majestas penes unum (Imperatorem) tantum residet. Contrarium, cum aliis multis, docuit Besoldus. 3
Dissertat. de statu Reipubl. mixto, c. 2. n. 2 ubi ait, exemplum Status, ubi Majestas divisa quasi est, Imperium Romano-Germanicum præbere posse (salvo semper peritiorum judicio) putarem. In eo etenim nō Monarchā Cæsarem, sed inibi ex Aristocratia & Regio imperio, commixtum hodie statum, & sejuncta esse imperii jura, Rerumpublic. eruêre censores (quos ibidem vidêre licet cum rationibus annexis) Quid ego sentiam supra, & in tractatu de jure publico, suo locō explicavi. Utri credendum sit, sequentia aperient. Adversarius noster ita argumentatur: Quicunque in Republica solus habet plenitudinem potestatis, 4
apud illum tantum residet Majestas. Atqui Imperator in Republ. Romana hodierna solus habet plenitudinem potestatis. Ergò. Majorem certam dicit, siquidem plenitudo potestatis sit ipsa formalis ratio Majestatis, ut quandoque pro ipsa Majestate ponatur &c. Ego ante omnia 5
prius constare debere arbitror, an plenitudo potestatis, & quo sensu, in orbe detur, priusquam concedamus, eam in hac vel illa Republ. dari.
Si plenitudo potestatis accipitur, de licentia faciendi quodcunq; libuerit, sive contra jus naturale, gentium, civile, leges fundamentales, in summa contra divinas & humanas sanctiones sit, talis nulli mortalium 6
competit, & si exercetur, tyrannica, injusta, illegitima & nefaria, vel ut 7
loquuntur, plenitudo tempestatis erit. Generalis enim & plane aurea

illa Jurisconsulti regula est *in l. 15. ff. de condit. instit.* quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiā nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendū est. Hanc probè intellexit Antigonus Macedonum Rex, qui dicenti, omnia Regibus justa honestaque esse, sunt per Jovem, respondit, Barbarorum duntaxat Regibus. At nobis ea tantum honesta sunt, quæ honesta sunt, & ea tantum justa, quæ justa sunt. *Plutarch. in Apophteg.* Quod si verò
8 plenitudo potestatis accipitur, pro plenitudine arbitrii, quo omnia facere licet, modo non contra jus naturæ, gentium, aut divinum sint, ea reperiri datur in illis, qui superiorem non recognoscunt. Hæc in Re-
9 buspubl. pro earum diversitate, diversorum est graduum. In Monarchia despotica, plenitudo potestatis maxima est. Ita Turcarum Imperator, & magnus Dux Moscaviæ, plenitudine potestatis vincunt reges Galliæ
10 & Hispaniarum. Alia præterea potestatis plenitudo est Majestatis realis, alia personalis, illa utplurimum hæc major & efficacior. Hæc quippe eum plenitudinis gradum obtinet, quem illa præscribit. Nec impedit natura, quo minus diversæ magnitudinis & capacitatis vasa, plena sint,
11 majus tamen, liquoris abundantia, minus superet. Majestas personalis instar Lunæ est, realis instar Solis. Ut Luna (quæ semper, in se considerata, corpus plenum & perfectum est) tunc plena dicitur, quando longissimè est à Sole separata, & ei ex diametro opposita: nam tunc plena, id est, omnino illustrata nobis apparet: Ita etiam Majestas personalis in se considerata, quidem semper plena est, sed tunc plena nobis apparet, quando à Majestate reali longissimè abiit. Quo enim ei propior est, eò obscurior, & luce minor. Propior autem tunc & obscurior est, quando angustis conclusa cancellis, & legibus fundamentalibus alligata
12 ita continetur, ne longius à suo Sole recedere queat. In statu mixto, plenitudo totius potestatis, apud unum solum non est, sed apud plures: & ita quandoque ut unus ex istis plena potestate, certum quoad actum solus; in cæteris non nisi conjunctim cum aliis uti possit. Atque hoc in Imperio nostro videmus, ubi Imperator alia solus, plurima non solus, sed cum Electoralibus, aut etiam cum statibus omnibus, peragere potest. Hinc itaque optima ratione negamus Imperatorem solum in Imperio habere plenitudinem potestatis. Quod etiam Antagonista
13 noster, conclusione I. circa finem docet, dum ait; quantum absolutæ Imperatoris potestati detractum fuit, tantum accrevit Electorali, & reliquorum

liquorum

liquorum Principum. Cujus potestati absolutæ aliquid detractum, is ab-
solutam amplius, aut plenam potestatem non habet. Imperatoris po-
testati absolutæ aliquid detractum. Ergò. Respondeat Antagonista, si
voluerit, nos pergimus. Qui Imperatori soli in omnibus negotiis ple- 14
nitudinem potestatis attribuit, is capitulationem evertat necesse est: Si-
mul enim hæc stare non possunt. Describit nempè Ludov. Rudolphinus
tract. de suprema potestate c. 1. Plenitudinem potestatis, quòd nulli ne-
cessitati subjecta, nullisque juris publici regulis limitata sit. Textus ab 15
adversario adducti clarè probant, Imperatorem habere Käiserliche
Macht vnd Vollkommenheit/ atque illos erroris convincunt, qui sta-
tum Imperii purè Aristocraticum statuunt, non autem probant Impera-
torem solum habere potestatem, & plenitudinem in Imperio, & qui-
dem in omnibus negotiis. Textus isti plenitudinem potestatis in sanci- 16
endis legibus inculcant, in quibus ut Imperatori, seu Capiti sua præ cæ-
teris statibus authoritas est, ita etiam scientia, voluntas, deliberatio, con-
siliumque statuum non excluditur, ut dicti textus innuunt, & alii quos
allegat Buxtorffius *ad proem. A.B. conclus. 6. lit. b.* Quantum R. A. 17
de anno 1555. §. Vnd nach dem concernit, qui alio longè sensu, quam
Protestantes, desiderabant, eidem insertus legitur, negari nequit, po-
testatem vel plenitudinem, ut protestantes innuunt, à Rege Romano-
rum, vice Imperatoris, in re controversa adhibitam, & ita, daß die Pro-
testirenden über beschehen Bitten vnd Vorwendung hierinnen kein Maß
noch Ziel zu setzen gewust. Sed hoc est, de quo variæ ac reiteratæ protesta-
tiones & querelæ statuum, qui se gravatos conquesti sunt, in Imperii
archivis reperiuntur. In merita causæ hic nolo inquirere, salvum, per
me, unicuique jus suum sit, tantùm hoc agam, ut planum fiat, adversa-
rium hoc exemplo Jani templum non claudere. Ita autem infert: Cum 18
ergò Imperator plenitudinem, seu plenariam potestatem, etiam invi-
tis Electoribus, & Principibus exerceat, Majestas apud illum solum resi-
det. Ego in his non pauca desidero. Primum, enim, particularis hic 91
actus est, unde generalis plenitudo potestatis, in omnibus negotiis pro-
bari nequit. Deinde, si plenitudo potestatis in ferendis sententiis, sine ex-
ceptione Imperatori competit, nil refert, sive invitis, sive consentientib. 20
partib. ea utatur. Hæc enim ordinaria Judicū potestas est, ut etiam in in-
vitum jus dicant. Catholici autem, in causis religionē concernentibus,
ordinariam Imperatoris potestatem non semper agnoscere R. A. zu 21

Speyr. de anno 1544 §. Als wir aber. p. 304, imò nec decisioni ejusdem causam submittere voluerunt *d. l.* & confessi licet *ibidem* fuerint, da jhre Käiserl. Majest. vor sich selbst / vnd auß Käiserl. Macht vnd Vollkommenheit / Ordnung darinnen fürnemen vnd geben würden / daß sie solches geschehen lassen vnd dulden müsten / vnd in demselben dem Röm. Käiser kein Form oder Maß zu setzen wüsten. nihilominus tamen in ordinationem Imperatoris ex plenitudine potestatis factam, non consenserunt, licet eam observare promiserint, *ut patet ex d.* R. A. §. Vnd wir Chur-
22 fürsten. *p. 306.* Ita etiam protestantes an. 1555 fassi sunt, daß sie der Röm. Königl. Majestat kein Form noch Maß zu setzen / & nihilo tamen minus sententiæ contradixerunt, &c. Utrobique autem (nam & hoc notari debet) Imperator plenitudinem Potestatis non invitis omnibus Electoribus & Principibus, sed nonnullis tantum invitis, exercuit, ut indè, ad eum casum, quo omnibus invitis facere desideraret, argumentari non
23 liceat: Posse verò ei, qui ad Imperium vehitur, poni conditionem, & terminos, patet ex R. A. de anno 1548. §. darauff dann gemeine Ständ p. 320. & satis superque ex capitulatione, in quam jurat. Hinc cum in conventu Ratisbonensi, anno 1623. ad hanc quæstionem deventum esset, clarissimis verbis oppositum, daß ohne Maßgebung / vnd die Capitulation nicht beysammen stehen köndten: denn worzu Jhr Käiserl. Majestat durch die Capitulation verbunden / das were derselben ohne Maßgebung nicht heymzustellen / würde auch dardurch die Churfürstl. Hochheit vnnd Würde nicht conservirt / die Capitulation were klar / daß in hochwichtigen Sachen mit der Churfürsten Bewust / vnnd Einwilligung solte verfahren werden / darüber keine mehrere Stimmen zu machen / noch das Gesetz in weitere Consultation zu stellen / ꝛc. vide tom. 1 actor. public. l. 6. c. 154. p. 1076.

Tertiò, Conclusio ex præmissis non sequitur; his enim nec dictum, nec probatum, Imperatorem solum plenitudinem potestatis in omnib. actibus exercere posse; Ergò nec sequi inde poterit, Majestatem apud so-
24 lũ Imperatorem residere. Respondet, inter cætera, Wizendorffius ad ordinationes Imperii, à me *d. l. 1. de jure publ. c. 10. n. 28. & seqq.* allegatas me committere ignorationem elenchi; Ordinationes enim non loqui de ipsa Majestate, sed de Majestatis juribus, ex illa Majestate fluentibus.
25 I. Vellem monstrari, quomodo ignorantiam elenchi illam, quam mihi adscribit, potuerim committere, cum, ipso etiam teste, innuerim, de juribus

juribus Majestatis ordinationes loqui scilicet accusat, & statim innocentem me dicit. II. Adeò sacrilegus nunquam fui, aut ero, ut Impera- 26
tori Majestatem competere negem; An autem Imperator Majestatem solus in Imperio exercere queat, leges Imperii publicæ, me etiam tacente, loquuntur. Non hic quærenda subterfugia, si veritatem amamus, nec hoc casu distinguendum, inter Majestatem, & jura Majestatis: quam enim Majestatem Imperator habet, ejus etiam Majestatis jura habet, & si hæc exercet, illam exercet. In communicatione verò distinguenda 27
omninò est Majestas, à juribus Majestatis. Majestas ab Imperatore communicari nulli potest; concedere tamen Imperator aliis *jura* ea potest, quorum conferendi potestatem à Majestate reali accepit; inter quæ etiam illa sunt, quæ *jura* Majestatis, & quidem ideo dicuntur, quia Ma- 28
jestatem, respectu collationis pro causa agnoscunt, non autem, quod, qui ea accepit, Majestatem habeat, & vi ejusdem exercendi hæc *jura*. Unde notabiliter distingui poterit, inter *jus* Majestatis, & *jura* Majestatis. Imperii, seu Majestatis realis, *jus* est, Imperatori soli Majestatem concedere, aut non soli: Utrum fecerit, leges fundamentales nos docent.

Aristarcho interdum in illis, quæ pro sententia mea adduxi, opus 29
esse, hic scribit Wizendorff; ipseque hoc munus sibi despondet; at quo successu, videbimus. Quando Cæsarem non sua propria autoritate & nomine bella indicere statui, id me non seriò dixisse autumat. Serius 30
autem in re seria fui, non ludio, & frivola omninò, ac nullius ponderis ratio est, qua se eò inductum narrat. Nam, quî latebit, inquit, Limnæum, postquam lege Regia, olim populus omnem potestatem concessit Principi, cœpisse *jus* illud belli indicendi Imperatori competere, cui belli, pacisque arbitrium est relictum; quemadmodum Schönbornerus *lib. 5. polit. c. 12.* prolixè demonstrat. Quod lex Regia, ejusque tenor, & 31
Principis inde firmata potestas, me non lateat. *c. 12. lib. 1. de jure publico. à num. 40 usque ad 120.* testis erit.

Verùm cum ipse concl. 1. inculcet, Imperii Romani hodierni ad- 32
ministrationem non æstimandam esse ex administratione Imperatorum priorum seculorum, sed ex constitutionibus & actionibus hodiernis, nescio cur ad obsoletum *jus* hic provocare voluerit, & quod Germanorum Rempublicam planè non attinet.

Romanus populus omne suum Imperium & potestatem in Prin- 33
cipem

cipem contulit. At quid hoc ad Germanos, liberum populum, nec Romano subjectum? Res ab aliis, & inter alios, tunc acta est, à nostris nun-
34 quam. Scire quoque debuisset Aristarchus, populum Romanum, potestatem in Principem cumulativè tantùm, non privativè contulisse, hincque etiam post latam legem Regiam, potestatem belli decernendi habu-
35 isse. *l. 24 ff. d. captiv. & postl. reverf.* Fallitur dum hoc solum de tempore, quod legem Regiam antecessit, annotatum arbitratur, *per ea quæ tradidi d. l. de jur. publ. c. 13 num. 103. & seq.* Ulpianus Institutiones scripsit post latam legem Regiam, quia in iisdem, libro primo, legis Regiæ meminit. *ut l. 1. ff. de constit. princ. quæ ex eodem libro desumpta est, testatur.* Ex eodem libro I. Institutionum desumpta etiam est, *d. l. 24. ff. de capt. & postlim. reverf.* ut vel hinc quoq; pateat Ulpianum de suo non antiquiori tempore se ipsisse, quod de potestate belli decernendi scripsit. Non
36 obstat à Schönbornero *d. l. allegata l. 3. ff. ad l. Iul. Majest.* quia illa non dicit soli Imperatori potestatem bellum decernendi, vel indicendi competere, nec populo; sed hoc, lege Julia teneri, qui injussu Principis bella gesserit: Quod aut ita accipi potest, si bellum à populo decretum, ab Imperatore indictum, gestum sit ab eo, qui jussum Principis id gerendi non habuit: Aut ita, qui dilectum habuit, exercitum comparavit, belláve injussu Principis gessit. Licet verò hic jussus populi Romani
37 mentio non fiat, attamen quod una lege non exprimitur, altera suppleri debet, Sed & eadem hac lege, populi potestas bellica non obscurè denotatur, quando exercitus populi Romani mentio fit. Cujus enim exercitus est, ejus etiam bellum. Et ut clarius dicam, qui exercitum habere potest, potestatem habet comparare exercitum, qui hæc habet, bellum gerere potest, *arg. d. l. 3.*

38 Quamvis autem (pergit Aristarchus) ex pacto & conventione potestatem hanc (puta belli indicendi) cum Electoribus communicavit
39 Imperator &c. Aristarcho nostro, si ullibi, hic sanè Aristarcho alio opus est. Potestatem indicendi bellum Imperator Electoribus non communicavit, sed quocunque hic juris habent, à Majestate reali acceperunt, æquè ut Imperator; quod capitulatione probatur, quæ Imperii lex fundamentalis est, non Imperatoris. Inde, quæ capitula ea continentur, potiùs ab Imperio Imperatori, quàm ab Imperatore Imperio præscripta sunt; licet respectu consensus utriusque partis, pactum sit, & conventio dicatur.

Ita

Ita ut hodiè (verba sunt Aristarchi) ex novis Imperii constitutio- 40
nibus, non indicatur bellum, nisi Cæsaris & Electorum suffragiis) omisit hî: cæteros status, pessimo exemplo. Capitulatio Caroli V. Ferdinandi II. & Ferdinandi III. atque reliquæ omnes, quæ his intermediæ sunt, ad bellum Imperii nomine gerendum, scientiam, consilium, & consensum omnium Imperii statuum, ad minimum verò, sex Electorum requirunt. Suffragii quoq; Electorum indefinitè atque ita omniũ 41
meminit Aristarchus: malè, nam septimi Electoris, scil. Regis Bohemiæ, nullum hic est suffragium.

Concludit Aristarchus numerum tertium, hac clausula: Non tamen probari poterit, Cæsarem non suo, sed Imperii nomine bellum 42
indicere. Resp. Bella Imperator gerere parat, aut quatenus Imperator, aut quatenus Carolus, Rex Hispaniæ &c. vel Ferdinandus, Rex Bohemiæ Hungariæ, &c. Si ut Imperator, ea non nisi nomine Imperii suscipere, indicere, ac gerere potest, præviis suffragiis eorum, de quibus modo diximus: Unde isthæc verba in Capitulationibus Imperatoris (*in Carolina & Ferdinandæa tertia §. 11. in Ferdinandæa secunda §. 9.*) leguntur. kein Gezänck/ Fehde/ noch Krieg/ in oder ausserhalb deß Reichs/ von desselben wegen/ anfahen/ oder vornehmen. Indictio autem belli, quæ fit nomine Imperatorio, necessario etiam fit nomine Imperii, unde nomen, Dignitatem, Potestatem & Administrationem habet. In gerendo bello olim Caput ab Imperio, nomine eines Reichs Hauptmanns/ 43
constitutum fuit. R. A. zu Augspurg *de Anno 1500. tit.* deß Reichs Hauptmann betreffend. qui ut & reliqui officiales & milites Imperatori, & Imperio juramento adstricti fuerunt. deß R. A. *tit.* vom Söldner Eyd/ 44
tit. deß Hauptmanns Eyd *& seqq.* de bello acquisitis, pars certa Imperio attributa. *tit.* Was dem Hauptmann von Brandschatzung folgen 45
soll. Leges & statuta vel ut habet. *tit.* Wer die Feldordnung / deß R. A. *de anno 1500.* Ordnung vnd Gehorsam im Feld / vnnd was sich deßhalb gebürt vnd noth ist soll der Hauptmann mit der Käiserl. Majestät vnd deß Reichs verordneten Regenten / vnd seinen zugegebenen Räthen ordnen vnd versehen. Disciplina militaris ab Imperatore, & statibus in Comitiis 46
Spirensibus *An.* 1570. nomine der Röm. Käis. Majest. vnd deß H. Reichs Reutter Bestallung/ ꝛc. Vnd der Teutschen Knecht articuln, constituta. Hodie quoque exercitus dicitur, deß Reichs Armada/ deß Reichs Völcker / der Röm. Käiserl. Majest. vnd deß H. Röm. Reichs Kriegs-Heer. 47

Officiales omnes, cujuscunque ordinis, æquè ut gregarii milites, jure-
jurando Imperatori & Imperio devinciuntur, *ut plenius videre est* in dem
zu Prag *anno 1635.* auffgerichten Friedenschluß/ *nec non in recentissimo Im-*
48 *perii Recessu Ratisbonæ de anno 1641.* (*qui bonis constitutionibus militarem di-*
sciplinam stabilire conatus est, sed frustra. Nam pessimi mores, optimas leges
in ipsis incunabulis suffocasse, percepimus: nempè in bello silent jura, tabescunt
rura, & fit confusio pura.) ex quibus omnibus liquidò apparet, quousque
nomen Imperii, cum nomine Imperatorio, bellicis in negotiis, concur-
rat.
49 Restat unicum illud, quòd Aristarchus non sine admiratione le-
gisse ait: Imperatorem esse, tantum administratorem Imperii. Utque
vindictæ me otius exponat, addit, se non posse conjicere, cur ego summæ
Cæsaris autoritati tam exiguam tribuam dignitatem. In aliis malitia
ætatem supplet, hoc verò in homine, ætatem, & rationem imminuit.
Quæ vera & unica causa est, cur innocuam mentem meam assequi non
50 potuerit. In præcedentibus à me, ex Imperii recessibus, aliisque consti-
tutionibus, relatum erat, Imperatoris potestatem in quamplurimis esse
limitatam, nec absolutam; dein adjeci eum tantum Imperii administra-
torem esse; quo innuere volui, Imperii Dominum non esse, sed tantum
administratorem. Hac in re quid peccârim, nondum video: Clari
enim eum in sensum textus sunt, quos allegavi. Non sufficit Aristarchū
dicere contrarium potius in illis contineri, evidentia enim ipsa huic
fronti contraria est. At inquit, textus deß R. A. zu Augspurg *de anno 1559*
51 *in pr.* (*ibi.* vnd vns mit der Bürde der Administration/ vnd Verwaltung
deß H. Reichs/auch anhangender Dignitet/Hochheit/Regierung/Titul/
Scepter vnd Cron deß Römischen Käiserthumbs im Namen deß All-
mächtigen beladen.) non tantùm loquitur de administratione, sed & de
ipsa Majestate & dignitate. Ita sane est, & nemo, nisi stupendè stupidus,
52 hoc negabit. Stupidus tamen & ille est, qui non videt, Ferdinandum
ipsum fateri, majestatem & dignitatem administrationi adhærere, hoc
est, se administratorem Imperii factum, & inde Dignitatem, Majesta-
tem, Regimen, Titulum, Sceptrum & Coronam Imperii, omnia admi-
nistrationi connexa, suscepisse, unde qui Imperatorem, tantum Imperii
administratorem esse, nec ejus Dominum, dicit, reprehensionem non
incurrit, nisi apud iniquum judicem. Qui verò Imperatorem nudum
Imperii administratorem, sine majestate & dignitate statuit, scuticam
meretur.

meretur. Ac, ne fortassis Aristarchus putet, me solum hac in acie stare, 53
socios nominabo, sed brevi catalogo, ne lectori molestus sim. Nicolaus Cusanus, Cardinalis, & Imperii Romani rerum maximarum, & absconditarum peritissimus, Imperatoris Sigismundi Consiliarius, (*Leheman Chron Spiren. lib 5 c.95. p 610.*) *de concordant. Cathol. lib.3 c.26.* expressè scribit: Imperatorem solum administratorem in utilitatem Reipublicæ existere. Daniel Otto in disput. de jure Majest (*quæ reperitur in-* 54
ter Basilienses vol.4.) *thes.28.* ait, Imperatorem non esse proprietarium jurium Imperii, sed tantum administratorem, sicuti tutor & curator est. *allegans Riminald. ad § 1.n.82. Instit. quibus alien. licet.* *Hottoman. 1 illustrium quæst.* *Carolum Molinæum in consuetudine Parisiens. § 2. gloß. 4. n.17.* *Et Georgius Christoph. Meysisch. disp. de potest. & jurisdictione Imperatoria.* (*eod. vol 4*) *thes.3. lit.a.* ibi: non enim tam dominos, quam administra- 55
tores Augustos se professos, & etiamnum profiteri, rectè sentit Covarr. *in c. peccatum part. 2 §.9.n. 8. & paulo post.* Hinc illa Octaviani Augusti qui sibi ut parenti Romani Imperii procurationem demandatam, & Caroli Magni à Zoanneto *de Rom. Imper. n.52.* relata oratio, qui duntaxat Imperii gubernator in suis monumentis nominari voluit. Tan- 56
dem fatetur Aristarchus, Imperatorem quidem dici administratorem, sed talem, qui non alieno, sed suo nomine, &c. administrat.

Hoc dogma impugnari d. lib. 1. jur. publ. *c.10. n.37.* rationibus, quas ibi adduxi. Addi poterit tit. 2. A. B §. *& quia de antiqua*: ibi priusquam in aliquibus causis aliis, sive negotiis virtute sacri Imperii administrat planè, qui ex præscripto agit, alieno nomine administrat. *arg. l. 1. ff. de procur.* Audivi aliquando distinctione conciliantem has opiniones: 57
Imperatorem administrare Imperium nomine alieno, respectu Majestatis realis, suo autem, respectu statuum singulorum.

Sectio IX.

In qua examinatur sexta conclusio Wizendorffiana.

1. 2. Wizendorffius non loquitur accuratè.
3. Major propositio Wizendorffiana reformatur.
4. & additur ratio reformationis.
5 6. Examinatur minor propositio.
7 8. 9. 10. Unde sint Imperatoris reservata.

11 *Distinctio inter reservata Princi-pis, & reservata Principi.*
12 *Quænam* Imperatoris *partes sint, in ferenda lege.*
13 14. *Explicatur* §. **Wann aber.** *tit.* 26. *A. B.*
15. *Potestatem Imperatoris, Electorum & cæterorum Imperii statuum, ex sola A.B. cognosci non posse.*
16. *Hodie Electorum, & Statuum potestas, major est, quàm fuit tempore* Caroli IV.
17. *Minor autem Imperatoris.*
18. *Imperator, quo sensu causa principalis in administratione dicatur.*
19. 20. 21. *VVizendorffius Bodino adscribit, quod ei adscribendũ non erat.*
22. *Oratio Moguntini.*
23. *A variis variè accepta.*
24. *Et pessimè à Nordermanno explicata.*
25. 26. *An Reinkingio à Limnæo facta fuerit injuria.*
27. *Argumentatio* Wizendorffii *affertur.*
28. *Et refellitur.*
29. *Alia* Wizendorffii *argumentatio.*
30. *Quæ corrigitur.*
31. *Minoris probatio invalida est.*
32. 33 *Orationem Moguntini ut explicet* Wizendorffius.
34. *Sed ea explicatio cerebrina dicitur.*
35. *Authoris explicatio.*
36. *Vocabulo* Nobis, *Electores comprehendi docet* Wizendorff.
37. 38. *Huic contradicitur.*
39. *Explicatur querela Mauritii, Saxoniæ Electoris.*
40. *VVizendorff Limnæi precibus non satis fecit.*
41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. *Orationis Moguntini explicatio uberior.*

1 IN Imperii hodierni Romani administratione mixta, præponderat Monarchia; inquit Wizendorffius. Sed videtur hîc, ut & conclus. 2. circa finem confundere administrationem cum statu: quæ magno studio in antecedentibus distinguenda monuit. Monarchia enim status est, quæ si in administratione præponderare dicitur, status Imperii hodiernus purè Monarchicus non erit; quod tamen conclusione quinta asseruit: Status quoque misceri poterit, quod fieri posse negavit, conclusione tertia in pr. Melius itaque ad explicandam opinionem suam,
2 pro Monarchia, dixisset, Monarchica administratio, *ut fecit conclus.* 2. §. *respondemus primò. & §. quapropter.* Sed his longius immorari operæ pre-
3 tium non est; ad argumentum, quo sententiam suam firmare contendit, me confero, ubi majorem propositionem non alio, quàm si reformetur & quidem hoc modulo, admitto, In cujuscunque Reipublicæ admini-

ministratione Majestas jure ita exercetur, ut uni soli major pars administrationis & potestatis competat, ibi præponderat Monarchia. Monarchiam appellare, administrationem monarchicam, mihi licet, qui statum & administrationem, eo sensu, quo Wizendorffius, non distinxi. 4
Verba, unus, apud quem Majestas residet, prærogativam & majorem potestatem habeat, reseco; quia ubi Majestas apud unum residet, necesse omninò est, ut ei prærogativam, & majorem, imò maximam potestatem attribuamus. Quod si fiat, status Reipublicæ mixtus esse nequit, sed purus, & quidem monarchicus. Quod si hoc, administratio, quæ nobis status nomine venit, monarchica erit. Vocabulum jure, ideo apposui, ut factum illegitimum excludam. Minor talis erit: In Republicæ Romanæ hodierna administratione majestas jure ita exercetur, 5
ut uni soli major pars administrationis & potestatis competat. At si talis, probationem expecto. Ego, qui philosophandum esse, sed paucis, studiis meis semper convenientibus duxi, in Philosophia Wizendorffio 6
baccas laureas, & palmam lubens cedo; opinor tamen minorem non satis ad regulam formatam. Audivi enim in Scholis, assumptionem assumendam ex propositione &c. itaque illa (*ut inquit Alstedius tom. 1. encyclopediæ lib. 8. sect. 2. cap. 9. p. 434.*) nihil addat vel demat. Addidit autem Wizendorffius assumptioni, vocem mixta, quæ in majori non habetur, ut & verba, Imperator scil. Dempsit, vel omisit in minori, verba, apud quem Majestas residet. An legibus syllogisticis solutus sit, & quid hac audacia meritus, ad forum Logicorum pertinet. In probatione minoris, ad ea attentus non est, ad quæ debebat esse. Non enim 1. aliud adducit, quam nonnulla jura Imperatorem sibi reservasse, ego autem Majestatem realem Imperatori ea reservasse, & ut reservata concessisse, arbitror. Quicquid sit, non probat hæc reservata maximam partem administrationis concernere. Deinde, supra à nobis rejectam 7
crambem, recoctam apponit. Imperatorem cum proceribus potestatem legis ferendæ communicasse, prærogativam tamen sibi eam retinuisse, ut leges conceptæ & communi suffragio munitæ, non statuum, sed ipsius solius auctoritate promulgentur, & sanciantur. Promulgationem autem & sanctionem præcipuum robur & auctoritatem legibus conciliare. Dixi fundamentalibus Imperii legibus probari, potestatem, quæ Imperii statibus in ferendis legibus competit, ipsis à Majestate reali concessam, non ab Imperatore. Ex iisdem quoque legibus affir- 10

 mavi,

mavi, reservata Imperatoris esse; ita non ab ipso, sed à Majestate reali. Loca, quibus in Recessibus Imperii, ac alibi, dicitur, Imperatorem hoc, vel illud jus sibi reservare, aut reservasse, eo sensu accipienda sunt, quo jus nostrum, quod cuique legibus, pactis &c. datum vel concessum est, reservare nobis, communi more, diximus. Illis itaque in textibus Imperator sibi reservat, quæ habet jura; sed unde habeat, non
11 determinat. Hinc etiam nonnulli melius dici arbitrantur hæc, vel illa, esse reservata Principi, quàm esse reservata Principis. Prærogativas
12 in lege ferenda Wizendorffius Imperatori attribuit, præsidendi & proponendi (*conclusio. 5. §. quod secundo dicit*) promulgandi & sanciendi. Quorum utrumque verum esse novimus: docet tamen ex Goldasto *in replicat. pro Imper. adversus Gretser. cap. 11.* Hortlederus *lib. 1.* Von den Ursachen deß Teutschen Kriegs / *cap. 37. pag. 203. ante num. 7.* nostrorum Imperatorum Propositiones, quæ hodiè in Comitiis fiunt, esse, quod olim fuere orationes bonorum Principum in Senatu, quarum frequentissima in jure nostro mentio, *ut videre est, in juris mei publici lib. 1. cap. 12. num. 96.*

13 Tertio loco constituit, quod solus Cæsar, in administratione, pro causa principali habeatur, cui Electores assistant, *per verba A. B. tit. 26.* §. Wann aber. Distinguenda ego dico negotia; In nonnullis Imperator solus in actione est;* in aliis cum ipso Electores; in reliquis, omnes Imperii Status. De secundi generis, sed non omnibus, aurea Bulla loquitur, maximè verò de illis, ad quæ linguarum, Italicæ &
14 Sclavicæ cognitio requiritur, ut allegatus titulus innuit. Quod autem, ut dixi, de omnibus negotiis non loquatur, inde cognosci potest, cum tantum secularium Electorum mentionem faciat. Notum autem sit, in rebus maximè seriis, omnes, tàm Seculares (excepto in quamplurimis uno Bohemo) quàm Ecclesiasticos intervenire, totumque hoc Collegium Cæsareæ sublimitati assistere, non solum ut Consiliarii solent, sed tanquam illi, qui in partem sollicitudinis ab Imperio constituti. Cujus columnæ & latera, vel ut aurea Bulla, *tit. 3. in princ.* habet, Columnæ Proceres, sacrum ædificium circumspectæ prudentiæ solerti pietate sustentant; & quorum præsidio dextra Imperialis poten-
15 tiæ roboratur. Certè, qui potestatem Imperatoris, Electorum, ac reliquorum Imperii Statuum, sola ex Aurea Bulla cognoscere satagit,
16 spe fallitur. Aberrat & ille, qui potestatem Electorum, & Statuum, hodiè

hodiè ampliorem non esse, quàm fuit sub Carolo IV. autumat: auctis enim capitulationum articulis, quod ferè ad singulas novi Imperatoris creationes factum. potestas Electorum, & reliquorum Imperii Statuum, semper crevit in ampliorem potentiam, non decrevit. Potestas autem Imperatoris talis fuit, & mansit, qualis ab Imperio in eum, tempore electionis translata est. Nec quisquam posterio- 17
rum Imperatorum conquerendi causam habuit, potestatem suam imminutam esse, quia majorem nunquam nactus, nec suam dicere potuit, quæ alterius, prædecessoris videlicet sui, fuit. Probant hæc capitulationes ipsæ, & illa, quæ ex iisdem annotavi *in tract. de jur. publ. lib. 9. cap. 1. num. 232.* Assistunt revera Electores Imperatori, tanquam capiti membra; sed cor præcellentius est omnibus istis, à quo illi sunt, quod sunt, quales sunt, & habent, quantum possunt, &c. Unde ap- 18
paret, Imperatorem solum, in administratione, pro causa principali, (efficiente nempe) habendum non esse; pro instrumentali haberi posse; sed an, & quatenus pro Principali solus, loquantur Imperii publicæ leges, ego auditoris officium subibo. Interim ad Wizendorf- 19
fium revertor, qui ea, quæ ex Oratione Electoris Moguntini Mauritii exprobratione, & literis Galliæ Regis, pro fundamento adduxi, recitat, & subnectit; Rationem hanc Bodinus quoque allegat, & pro asserenda Aristocratia adducit. Verum Reinkingius *lib. 1. class. 2. num.* 20
194. respondet Bodino &c. In Bodino hoc non reperio, si diligentius me illum legit, proferat locum. Optandum, Wizendorffius felicitatem suam inveniendi ea, quæ non sunt, impenderet in publicam utilitatem, & inveniret in Imperio pacem, quam ego non reperio, nec in illo est. Reinkingius allegato loco, non solum Bodini argumenta 21
proponit, sed & alia miscet. Expresse autem *num. 37.* postquam in prioribus Bodinum suo semper loco allegaverat, scribit; cui addi potest Moguntini Electoris apud Sleidanum consultatio; numero quoq; 194. ubi ad hanc consultationem respondet, Bodini nullam facit mentionem. Unde ergò Wizendorffius sciat, sub hoc numero Bodino responsum fuisse, nescius ego sum: persuasum autem mihi habeo, illum ejus scripta, cujus patrocinium suscipere, ambitioso conatu, tentavit, accurata diligentia haud inspexisse.

Succedit Electoris Moguntini oratio & quæstio, quomodo ejus- 22
dem illa verba intelligi debeant, animi fortitudinem ei (Regi

Galliæ

Galliæ Francisco) tribuunt; sed ad Monarchiam illa spectat, nobis au-
23 tem inprimis Aristocratia retinenda est. Sunt, qui hæc accipiant de administratione tantum, sunt qui de statu & administratione interpretentur. In illorum numero, præter Reinkingium, versari deprehendo Al-
24 stedium *tom. 4. encyclopæd. lib. 23. c. 18. p. 1441.* & Nordermannum *de jure Principatus, thes. 9. lit. a.* (*volum. 4. disput. Basiliens.*) ubi ita legi: Neq; huic sententiæ obstat Moguntini Oratio à Sleidano relata, in qua Imperium nostrum Aristocratiam appellat: Hoc namque respectu administrationis dixit: quia metuebat Caroli potentiam, & regiminis immutationem, & forte tale, quale in Hispanos usurpabat: Quibus posterioribus verbis longissimè à Moguntini mente recedit Norderman: & quod Elector
25 de Gallo metuebat, id de Carolo, perverso ordine accipit. Reinkingii opinionem contra me urgere atque meam refellere Wizendorffius in habitum vertit: Dicit me immeritò reprehendere Reinkingium, injuriamque ipsi à me fieri. Meritò, an immeritò hoc egerim, saniorum judicio submitto; quod autem de injuria blaterat, conscientiam meam
26 testem habeo, animum injuriandi abfuisse. Reinkingium, virum de re literaria benè meritum, fama magnum, officiis præclarum, magni, merito suo, semper feci, nec injuriis cum eo certare, unquam mihi animus, nec causa fuit. Verba, quibus usus, Academica licentia (in qua opus conscripsi) mihi tunc suggessit, & disputandi fervor, qui in illa rarus non est: gladio in illum pugnavi, non volsella. Victor ac victus recesserim, judicent palestræ præpositi (vulgus non curo.) Neutrum mihi inglorium ducam. Injuriam ex eo metitur VVizendorffius, quod alium medium terminum, quàm in Reinkingii discursu habeatur, assumpserim. Cur eum, quem expressi, assumpserim, ratio fuit, quòd non immediatè (contrarium VVizendorffius contra evidentiam rei scribit) sed interposita rei eratione distinctionis, inter statuum, & gubernationis modum, seu formam, verba illa, hanc interpretationem &c. legerim. Et quo tandem se vertat adversarius, sive hunc, sive illum, quem ipsum adducit, medium terminum constituat, utrobique tamen res in suspenso erit, & in posteriori manifesta dabitur petitio principii, quod
27 nec ipse infiteri potuit. Sed audiamus argumenta, verba, quantumvis generalia, temperanda, & coërcenda sunt, juxta conditionem rei, de qua proferuntur. Verba hæc in oratione Moguntini contenta sunt generalia, Ergò. Ego majorem pro generali non habeo. Ut maxime enim
in

in interpretatione legum, teſtamentorum, contractuum &c. vera eſſe, 82
quandoque poſſit, in teſtimonio tamen (in quo articulo nos verſamur) admittenda non eſt. Quod ſi enim verba teſtis temperanda, juxta naturam, conditionem & qualitatem rei, de qua teſtimonium dixit, neceſſe eſt, naturam, conditionem, & qualitatem rei jam aliundè cognitam eſſe. Si hoc, fruſtra de teſtimonio ſolliciti ſumus. Cui enim bono teſtimonium in re clara, cognita & perſpecta? cum cognita non egeant probatione. Minorem eâ facilitate nego, quâ affirmatur. Poſito, ſed nō conceſſo, verā eſſe, & præmiſſam ſimiliter, concluſio tamen litem noſtrā
indeciſam relinquit. Ulterius, ſyllogiſmis luxurians Wizendorffius, ita 29
argumentatur: Qualis eſt conditio rei, de qua verba Electoris proferuntur, tali modo etiam verba illa ſunt intelligenda. Atqui ea eſt conditio rei, ut adminiſtrationem reſpiciat. Ergò. Confundit author in prima
propoſitione conditionem & modum & rem involvit potius, quam e- 30
volvat. Ipſius pace manum admovebo, ut clarius conſtet, quid velit. De qua conditione Imperii Elector Moguntinus loquitur, de eâdem verba ipſius intelligenda ſunt. Atqui de conditione Imperii, quæ adminiſtrationem ejuſdem reſpicit, Elector Mogunt. loquitur. E. Hanc eſſe
mentem Reinkingii, ait. Sed cum videat minorem nondum proba- 31
tam, & ne excipiatur, in ea petitionem principii commiſſam eſſe, illam ita fulcire nititur. Nam ſi Statum (qui derivatur à Majeſtatis habitudine, ad numerum Imperantium) reſpicerent illa verba, ſequeretur, Majeſtatem, æqualiter reſidere apud Cæſarem, & Electores; Siquidem Ariſtocratia eſt Reſpublica, in qua Majeſtas ex æquo eſt apud paucos, &c.
Vera dixiſſet, ſi Moguntinus de ſtatu ſimplici, vel Ariſtocratia pura fu- 3
iſſet locutus, non autem de ſtatu mixto, in quo Ariſtocratia quidem præponderat, ſed pura & ſola non eſt. Ariſtocratiam retinendam dixit: hoc retinere dicimur, quod habemus, non aliud. Puram autem Ariſtocratiam tum non habebant in Imperio, ſed mixtam: ut acta temporis,
& leges fundamentales, ejus termini probant. Porro ex his Moguntini 33
verbis non ſequi, in illa mixta adminiſtratione prævalere Ariſtocratiam, autumat Wizendorff. Hinc ſtatuit, per vocem Monarchiæ Electorem intelligere puram Monarchiam, tum ratione ſtatus, tum ratione adminiſtrationis, & huic opponere Ariſtocratiam penitus abolen-
dam Hâc interpretatione, penitus cerebrina opus maximè habuit, ne ſi 34
verum admitteret ſenſum, concluſione ſexta cedere cogeretur. Cerebrinam

brinam autem hanc esse inde cognoscitur, quia nullo fundamento, ac
conjectura nulla stabilitur. Et ne quid licentiæ desit, ex interprete Para-
phrastes fit, sed talis, credo, ut si Moguntinus revivisceret, juraret per
35 omnia sacra, hominem toto cælo errasse. Detur, ut veritati conveni-
ens, Moguntinum Monarchiam pro statu & administratione ejusdem
enuntiasse; cui postquam opposuit Aristocratiam, ut oppositio justa
sit, & secundum normam, eam itidem pro statu & administratione ha-
36 buisse, dicendum venit. Quando vocabulum Nobis, ad Electores
restringit, & Imperii administrationem, in paraphrasi, ita comparatam
dicit, ut vi legum fundamentalium non à Cæsare absolutè, & solum
perficiatur, sed etiam ex parte ea ad Electores pertineat, reliquis Impe-
rii Statibus violentas adhibet manus; quorum, quæ partes in admini-
stratione sint, Moguntino, ut Imperii per Germaniam Archi-Cancel-
37 lario, ignotum haud fuit. Inde probabilior fit interpretatio, Nobis, id
est, Imperii Statibus, aut Nobis, id est, Electoribus, quibus imprimis
incumbit, ut Aristocratiam (non Nobis solum, sed & cæteris, qui in ea
concurrunt) retineamus. Nobis, scilicet, Electoribus retinenda Ari-
stocratia Imperio est. Erronea igitur maximè interpretatio, Nobis,
38 id est, Electoribus. Idque evidentissimè constat, ex hac Moguntini
oratione, quam ita Sabinus *in historia de electione & coronatione Caroli V.
apud Schard. lib. 2. historiar. Germanic. p. 837.* exhibuit. Scimus Gallum
in patria, quam natura amare debebat, quosdam jam Principatus ra-
puisse; brevique orbatam videbitis principibus universam Galliam.
Est omnino Gallus excelso animo præditus, sed nimis cupidus Mon-
archiæ. Nos autem, nisi Aristocratiam Principum, in Germania, omni
consilio, omnibuqsue viribus ac nervis tuebimus, malè consulemus
universæ posteritati.

39 Ex querela Mauritii, tantum hoc sequi concedit Wizendorff;
Cæsarem studuisse tollere id, quod Aristocraticum erat in Imperio.
Consentio; at quid erat illud, & quantum erat? Nisi hoc præponde-
rasset & superasset Monarchicum, tanti non fecisset Carolus, nec, cum
magno periculo, parvulas Aristocratiæ umbras tollere acquisivisset.
40 Quo etiam regis Galliæ literas pertinere arbitror. Denique petieram
ego ex classicis authoribus (scilicet ante, vel illo tempore, quo Mogun-
tinus peroravit) mihi exemplum dari, ejus sensus, quo Reinkingius
Monarchiæ, & Aristocratiæ vocabulum accipi scripserat; id si à Wizen-
dorffio

dorffio factum, gratias agerem; Postquam verò, in vicem exemplorum, nihil frequentius in orationibus esse, refert, quàm abstracta poni pro cōcretis; cum primis, quando instituuntur de rebus magnificis, qualis est hæc Moguntini oratio; suspensa gratiarum actione, leve hoc subter fugiū non admitto. Tam jejunus in oratoria non sum, ut me fugiat, frequentius apud Rhetores abstracta poni pro concretis: sed inde non sequitur, Moguntinum in sua dissertatione idem fecisse. Potuisset, ergò ne fecerit, litigamus. Tritum est, à posse ad esse non valere consequentiam. 41

Quoniam autem ambiguam orationem reddere, atque in suam torquere sententiam student adversarii, non possum calamum sistere, antequam veram interpretationem paucis confirmaverim, In confesso 42 est, vocabula, Monarchia, Aristocratia, Democratia, propriè pro statu Rerumpublicarum accipi, docendi causa in abstracto, sed si de Republica certa sermo sit, in concreto. Unde duplex fundamentum exurgit: Primùm enim in ambiguis locutionibus (pono, non concedo talem esse 43 Moguntini) pro proprietate vocis adeò præsumitur, ut à significatione verborum propria recedi aliter non oporteat, quàm cum manifestum est, aliud sensisse proferentem, *l. 69. in pr. ff. de legat. 3. l. 1 §. 20. ff. de exercit. actione.* & ex communi usu nomina exaudiri debeant. *l. 7. §. 2. ff. de supellectile legata.* Quodque de statu locutus fuerit Moguntinus, satis constat ex contextu suæ orationis, quando Sabino d. tr. p 838 teste adjicit: 44 si quis scrupulus est, ne transferatur Imperium, habemus solennem formulam jurisjurandi, juxta quam fidem dabit Carolus, se non labefacturum, aut mutaturum jura electionis nostræ, & Imperii Statum. & p. 839. Regent enim eum illæ virtutes, ut servet pacta, ut nulla moveat bella injusta, ut non mutet veterem & constitutam Imperii formam. Se- 45 cundùm: cum Moguntinus de Aristocratia Imperii locutus fuerit, non potest dici factum in abstracto. Ad hæc, distinctio inter statum & admi- 46 nistrationem Status, primum à Bodino observata, & ante eum à nemine animadversa; *ut ipse gloriatur de Republ. lib. 2. c. 2. p. 305.* Ergò Moguntinus, qui orationem suam in Electorum collegio, eo tempore habuit, quo nondum hæc distinctio cognita, secundum eandem verba formare non potuit. Magnates quoque, præsertim ubi ad suæ conditionis pares sermonem instituunt, argutias istas, quæ scholasticæ sunt, insuper habent, & populari loquendi forma, non figuratâ, non ambiguâ, utuntur.

Inde etiam est, quod eorum tractatus subtiles interpretationes, non ad-
48 mittant. Animose Mauritius, Elector Saxoniæ, Carolo V. Imperatori
reposuisse fertur, quando nonnihil ab hac via regia videretur deflectere:
At ego te tanquam Imperatorem, non tanquam Legistam, pactiones &
49 fœdera interpretari volo. Certè dum rationes, quibus Gallum ad Impe-
rium non revocandum suadebat Moguntinus, accuratius trutino, de-
prehendo ipsum considerasse Imperii leges, utilitatem, quietem, liber-
tatem & statum, Metuebat autem sagacissimus Elector, Gallum Gal-
licè imperaturum, & secundum animi fortitudinem, quæ ei præcipua
dicebatur, indeque statum Aristocraticum conversurum in Monarchi-
cum, Gallico similem. Fuisse autem eundem Monarchicum, tàm rati-
one status, quam ratione administrationis, Wizendorffius ipse fatetur.
50 Denique etiam admissa distinctione, inter statum & administrationem,
in quantum admittenda, nostra tamen sententia utroque significatu fir-
ma persistet. Si enim Moguntinus statum Imperii Aristocraticum
dixit, quod in mixtione Monarchiam vinceret, res plana est: si verò de
administratione status intelligi voluit, postquam administratio statui si-
milis est, & esse debet, ut supra sectione 3. probavi, etiam hac via obti-
nebo, quod volui.

Sectio X.

Mantissa discursus.

1. *Author paratus par pari referre.*
2. *Detegitur error Wizendorffii.*
3. *Et monstratur Imperium Romanum hodie idem esse, quod olim fuit.*
4. *Quando cœperit Romanum Imperium.*
5. *An hodiè Imperium electione deferatur, vi aureæ bullæ.*
6. *Immutatio legum & jurium Imperii, quo tempore facta fuerit.*
7. *Wizendorffius sibi contrarius est.*
8. *Electoralis collegii introductionem consuetudini acceptam fert Wizendorffius.*
9. 10. 11. 12. *Examinantur fundamenta positionis.*
13. 14. *C. venerabilē, de electione & electi potest. contra Wizendorffium facit.*
15. *Wizendorffius opinionibus variat.*
16. 23. *Sibi iterum contrarius est.*
17. *Et injurius in Electores & Status.*
18. *Malè allegat authores.*
19. 20. 21. *Et credit illis, quibus non est credendum.*

22. *Ab-*

22. Aberrat à veritate.
24 Destituitur fundamentis.
25. Ejus oratio defectuosa est.
26. Schardium omißionis insimulat.
27. Sed ei Palinodiam debet.
28 29. Gloriosus est in explicatione Ottenis Frisingensis.
30. Sed frustra.
31. Non accuratus est, in allegandis textibus.
32 Author inquirit in mentem Frinsingensis.
33. Frinsingensis, Primores Regni Imperatorem eligere, scribit.
34. 35. Eos aliquando optimates, aliquando Principes nominat.
36. Aliquando Principes Regni.
37. Nonnunquam Primates.
38. 39. 40. 41 His nominibus populariter, non autem secundum excellentiam utitur.
42. Wizendorffius contextum Arumæi suum facit, suppreßo authoris nomine.

HActenus examinavi conclusiones, quarum plerasque contra me directò formare voluit Wizendorffius: Restat, ut par pari referam, & censuræ, quam ipse de meis suscepit laboribus, hostimentum ponam. Facerem lubens, & ritè ex lege talionis, si compendii juris publici, quod Regiomonti se scripsisse ait, mihi daretur copia. Postquam verò, auribus meis tantum, non oculis id contingit, impresentiarum differre retributionem, & terminum prorogare cogor. Nec enim, præter ea ad quæ in superioribus sectionibus notas scripsi, aliud præ manibus nunc est, quam prima & ultima authoris conclusio: in quibus licet pauca sint, sunt tamen ejus generis, ut ex iisdem, tanquam ex ungula, leonem nostrum, & ejus vires cognoscere aliqua ex parte liceat. 1

Primò, in conclusione prima, Imperii Romani hodierni administrationis meminit: melius si hodiernæ administrationis. Accuratè enim loquendo, Imperium Romanum, quod hodiè apud Germanos est, non novum, aut hodiernum dici potest: sed illud, quod apud Romanos olim fuit, quodque in Germanos translatum, hac ipsa conclusione docet Wizendorffius. Personarum mutatione, & temporis cursu, quod fuit, esse non desiit. *arg. l 76. ff. de judiciis.* nec translatione factum est. Translationis enim natura, rem transferre, quæ est, non autem rem novam constituere. *arg.* § 1. *Inst. de adempt. legator. l 1. C. de in lit. jur.* Administratione quoque mutata, Status, seu ipsum Imperium, non mutatum, ut supra expressimus. 2 3

Secundò, Imperium Romanum videri ab initio hæreditarium fuisse, 4

fuisse. Augustum enim à Julio Cæsare testamento institutum; hunc rursus Tiberium, Tiberium Caligulam hæredem Regni reliquisse, scribit autor si Imperium pro Statu habet, Imperium Romanum non in Julio Cæsare, vel Augusto, sed sub Romulo cœpit. *l. 2. § 2. ff. de orig. juris.* Expresse Lucius Annęus (sive Florus vel Seneca, nih l ad nos) *in epitome rerum Roman. lib. 1. paulo post pr.* ait: primus ille urbis & Imperii conditor Romulus fuit.

5 Tertiò, hodiè Imperium non successione, sed electione deferri statuit, vi A. B. Caroli IV. *tit. 1. & 2.* Ego, quo minus vi A. B. hoc fieri credam, textus ab ipso allegatos, pro fundamento habeo, qui antiquam consuetudinem urgent: & veritatem ipsam, qua clarum est, auream Bullam non introduxisse electionem, sed introductam certis regulis exornasse.

6 Quartò, ait, jurium & legum Imperii nostri mutationem, in eo potissimum momento quærendam esse, quo invaluit auhoritas Electorum. Indefinita hæc est locutio, ut hærere possit lector, an non jura & leges Imperii privatas æque, ut publicas, intelligi velit. Deinde ut eadem hac conclusione mutationem modi, quo Imperatores olim ad gubernacula ascenderint, expressit, ita etiam hîc exprimere debuisset, quæ, & in quibus jura & leges Imperii mutata fuerint. Præterea momẽtum istud frustra quæritur, si verum est, quod author conclusione ultima habet, nempe sensim ac paulatim Electores jus eligendi ad se traduxisse.

7 Quintò sibi contrarius est: hîc absolutæ Imperatoris potestati aliquid detractum; in conclusione autem quinta, in Republica Romana hodierna solum Impetarorem habere plenitudinem potestatis, affirmat: ut notavi supra sectione 8. Conclusionem ultimam quod attinet, etiam ea nævis non caret. I. scribit expressè, patere ex cap. 1. A. B. *in pr. c. 4. §. cæterum & § primo*, introductionem Electoralis collegii consuetudini acceptam ferendam esse. Si contentionis serram cum eo trahere vellem, negarem positionem. Neutrum enim caput hoc ex-

9 pressè dicit &c. Caput primum loquitur de antiqua & laudabili consuetudine, juxta quam Electores habeant proficisci ad Electionem Regis Romanorum, non verò de institutione prima collegii electoralis: itaque à consuetudine profectionis, ad constitutionem collegii, est col-

10 lectio à separatis, quæ invalida. *Everhardus à Middelburg. in l. argument. lega-*

legalibus. loco à separatis, A. B. capit. 4. §. *cæterum*. hoc firmat, Archiepiscopum Moguntinum potestatem habuisse ab antiquo, cæteros Electores literatoriè convocandi. Hic iterum de constitutione collegii nihil, nihil etiam de consuetudine; non enim determinatur, unde ab antiquo hanc potestatem habeat Moguntinus, à lege, vel à consuetudine.

Idem cap. § primò declarat, Archiepiscopo Trevirensi hactenus competiisse primam vocem in eligendo; hanc verò an à lege habeat, 11
aut consuetudine, nō deciditur. Et ut hoc quoq; addam, exercendi adversarii causa; Si à proficiscendi consuetudine, à jure convocandi, ab ordine votorum, & aliis consimilibus, ad institutionem collegii inferre licet, dicam constitutionem lege factam esse, *per ea quæ c. 18. A. B. habentur*. 12

Secundo, allegat in eandem sententiam c. venerabilem de electione & electi potestate. Verum illud non tantum antiquæ consuetudinis, 13
sed & juris mentionem facit, ut sensus esse possit: Electoribus potestatem eligendi Regem Romanorum jure, id est, lege obtigisse, eosque hoc jus, ab antiquo exercere consuevisse. Quodq; expressâ concessione, non 14
tacita, quæ consuetudinis est, hoc eligendi jus ad Electores provenisse Pontifex hoc statuat, connexio textus innuit, quæ talis est: Verum illis Principibus, jus & potestatem eligendi Regem, in Imperatorem postmodum promovendum, recognoscimus, ut debemus, ad quos de jure & antiqua consuetudine noscitur pertinere, *cum ad eos, jus & potestas hujusmodi ab Apostolica sede pervenerit*, quæ Romanum Imperium in personam magnifici Caroli, à Græcis transtulit in Germanos. Hinc invalida erit minor, in argumento à Wizendorffio formato.

Tertiò, opinionibus variat; modò consuetudine introductum Electorale collegium ait, modò constitutum ab Ottone. 15

Quartò, consuetudine ortum scribit, quæ sensim ordinum consensu 16
fuerit approbata. Sed ubi istius consensus vestigia sint, non indicavit. Et in eo sibi contrarius est, quando in exegesi ait, verisimile esse, arte, & latente usurpatione Electores jus eligendi paulatim ad se traduxisse. Dicit hoc, non probat. Ego autem hanc opinionem 17
ut Germanicæ integritati contrariam, Electorali collegio minus decoram, cęteris autem Imperii ordinibus, & membris, probrosam non recipio. Et quoniam in re, quam historicorum supina negligentia tenebris involutam reliquit, conjecturis certamus, honori utriusque partis con-

sultius

ſultius, ac veritati magis conveniens duco, conſuetudini, conſenſu ordinum approbatæ, originem adſcribere. Inter cauſas quæ eò moverũt, ordines & populum, eam quoque refero, quæ olim apud Romanos curam Reipublicæ ad Senatum deduxiſſe dicitur. *l.2.§.9 ff. d O I.*

18 Quintò, tradit hanc ſententiam tueri Arumæum, Buxdorffium, Paurmeiſterum, Heigium & Schönbornerum. Arumæum quod attinet, verus eſt in relatione Wizendorffius. Buxdorffius autem *ad A.B. concl.41.lit.e. quam allegat author*, nihil de hoc negotio habet, theſi verò 14.*lit.C.* ſcribit, haud levis ponderis Argumentum pro opinione eorum inſurgere, exiſtimant, id non tam expreſſa, vel ſpeciali aliqua conſtitutione inſtitutum, quam antiqua, & ſenſim, tacito, vel expreſſo ordinum conſenſu invalere cœpta conſuetudine introductum fuiſſe. Paurmeiſteri editio poſterior in promptu mihi non eſt, in priori vero lib. 2. c.2. uſque ad n. 162. non extenditur, ſed 75. terminatur. Ait autem *n. mihi 38.* tacito conſenſu Principum, & ordinum Imperii irrepſiſſe paulatim, interveniente prolixitate temporis, memoriam hominum ſuperantis. Heigii opinio *part.1. quæſt.3. n.70. 78. & 8.* eſt, occultis primum initiis cœptum, & patientibus cæteris principibus, per aliquot annos uſurpatum. Schönbornerus *lib.5.polit.c.32.* (*num.35.*) tacito conſenſu Principum Imperii paulatim irrepſiſſe, interveniente longi temporis curſu, quo titulo nullus validior.

Sextò, in privilegio Ottonis 3. *ſcripto anno 999. & præfixo juri Saxo-*
19 *nico* Weichbilde: apertam fieri mentionem Electorum Eccleſiaſticorum, & Secularium ſcribit; exque eo evincit, Electorum ordinem Ottoni 3. cognitum fuiſſe: Quantum verò fidei huic privilegio attribuendum ſit,
20 ex Heigio *d. quæſt. 3.n 65. atque ex eodem d. part.1. quæſt.8 n 35. & ſeqq. ac n. 61.* diſcere poterat. Nam ut Ottonis 2. privilegium juri Saxonico municipiali Weichbild præfixum ſuſpectum, ita & hoc Ottonis 3. meritò eſſe debet Qui enim ſemel falſo uſus fuit Inſtrumento, ſemper in malitia, vel ignorantia, aut ſimplicitate perſeverare præſumitur in eodem genere de-
21 licti. Hinc ſi Wizendorffius voluerit, ut fidem huic privilegio demus, fidem ejus ante omnia probare obligatus erit.

Septimò docet, ultra Ottonis 3. tempora, hactenus præter Jorda-
22 num in Chron. in tempora Caroli M. originem rejicientem, neminem conſtitutionem Electorum extendere auſum fuiſſe. Hæc non conveniunt cum illis, quæ habet Alſtedius *tom. 4. Encyclop. lib.23. c.18 p.1443.*

à Caro-

à Carolo M. factam, Suffridum Petri probare, & Hirsauiense Chronicon id confirmare; cui accedit Chronicon Scabinorum Magdeburgensium apud Heigium *part. 1 quæst. 3. num. 10. & n. 66.*

Octavò, addit, Ottonem 3. contracto suffraganticum numero, rationem immutavisse suffragiorum, & constituisse gravissimũ Electorum senatum. Præterquam quod hæc superioribus, ubi consuetudini Electorale collegium adscribit, non respondent, etiam sine fulcro verba sunt: Contrarium ex Lehemanno patet, *in Chron. Spirensi. lib. 5. c. 17. p. 411. & seqq.* 23

Nonò, Ottonem 3. non quidem in totũ cæteros Proceres ab electione exclusisse, sed jussisse inferiori loco dicere sententiam, atque ab Electoribus, tanquam Primorib. Imperii factam, prævia ipsorum voce, electionem approbare. Hæc iterum fundamento carent; & postquam Electorum authoritas creverat, Albertus Abbas Stadensis *apud Lehemannum d. l. p. 416.* author est, ex prætaxatione Principum, & consensu, Imperatorem elegisse Electores. vel ut Heigius *d. n. 80.* vult, reliquorum auditis suffragiis & collectis votis, id tandem statuisse, quod è Republ. esse cognoscerent. Idem ferè legitur in speculo Saxonico (quod ab Eckio Saxone compilatum constat ex nonnullis, quæ temporibus Friderici 2. magis, quam præcedentium Imperatorum temporibus conveniunt, si verus est Heigius *d. quæst. 8. n. 53.*) *lib. 3. tit. 57.* ubi septem Electoribus enumeratis, sequitur. Vnd also kiesen Jhn deß Reichs-Fürsten / beede Pfaffen vnd Leien. Die aber zum ersten in der Wahlbenam seynd / die sollen nicht wehlen / noch Jhren Muthwillen / wen sie wollen / sondern welchen die Fürsten alle zu einem König erwehlen / den sollen Sie auffs erst bey Nahmen nennen vnd kiesen. 24

Decimò, verba, quin & nostro seculo Papa conabatur electionem Caroli V. sed non potuit; sensum non complent, sed defectuosa sunt, & à typographo fortassis omissum verbum, impedire, vel aliud æquipollens. 25

Undecimò notari vult, quod à Schardio omissum tradit, & in Lectione Frisingensis non animadversum miratur, quos posterior ætas Electores appellaverit, passim in illo Principes Regni absolutè, & καθ' ἐξοχὴν, nominari. Quo in proposito non solum Schardii diligentiam immerenter lancinat, sed & Frisingensis mentem, nimis audacter, videtur detorquere. Quod de Schardio dixi, inde patet, quia in libro, quem 26

M de Prin-

de Principum, quibus electio Imperatoris in Germania cõmendata est, origine seu institutione, scripsit, capitis 6. rubrum hoc reperitur; Principes Electores, etsi generali Principum nomine, ab autoribus plerumq; vocentur, æquè tamen fuisse, quam cum nomen Electorum usurpare
27 cœperint. Aut ergò palinodiam canat egregio Schardio Wizendorffius, aut probet necesse est, sub autoribus Frisingensem à Schardio non
28 comprehensum. In explicatione Frisingensis nuda voce, citra fundamentum, novæ industriæ laudem venatur, non capit. Albertus Mogũtinus Archiepiscopus, cujus id juris, dum regnum vacat, ab antiquioribus esse traditur, Principes Regni in ipsa civitate Moguntina con-
29 vocat; *Frising. lib. 1. c. 16.* Illustrius ad rem in qua occupatur Wizendorffius, demonstrandam, nihil esse, ait; cur hoc? 1. Quia historicus intelligit antiquius illud Moguntini jus, de quo etiam Carolina bulla loquitur, *tit.* 1. §. *cum autem.* 2. Et per Principes Regni, Electores. Credat
30 huic oraculo, qui volet, mihi mixtum videtur somnium. Moguntini jus convocandi Principes Regni, vacante Imperio antiquum est, quod usu & aurea bulla postea limitari cæpit. Antiquitus enim, vacante Imperio, convocare potuit, & debuit Principes Regni; hoc est, vi indefinitæ locutionis, omnes Principes Regni. Hodie convocat Principes coëlectores tantum, illud Frising. docet, & innuit Carol. 4. hoc autem
31 confirmat idem in A. B. *c. 4.* §. *caterum* (quem textum, si accuratus esset Wizendorff. potius, quã eum, quo usus, allegare debuisset) Nempè, ut sensim, ordinum consensu, ab omnibus, ad paucos eligendi jus pervenit; ita etiam sensim Mogunt. qui primum omnes, postea paucos ad electionẽ convocavit. Præterea ut verè de Frising. mente constare nobis pos-
32 sit, non inciviliter cum Wizendorffio, una tantum inspecta particula *arg l. 24. ff. d. LL.* sed toto contextu, & historia perspectis, progrediendum erit: Videndum itaq; ante omnia, quo nomine Frisingensi eos mactet, qui elegerunt Regem Romanum, vel ad electionem eiusdem vocati fuerunt; & an non omnes Imperii Proceres eodẽ appellitet no-
33 mine; ut indè constare possit, omnes electioni, tum temporis, interfuisse. Verbis hic eum variare deprehendo; aliquando Primores Regni nominat (*Ita lib. 7. c. 27.* anno, inquit, ab incarnatione Domini M. Primo, mortuo sine hærede Otone; Henricus patre Hezilone, natione Noricus, eiusdemq; gentis Dux ab omnibus regni primoribus electus.) Ali-
34 quandò optimates vocat; aliquandò Principes, idque vel uno contextu,

vel

vel diversis(.*lib.7.historiæ suæ.* *c.* 40. agens de abrogatione Henrici 3. & substitutiõe Henrici 4. in ejus locum scribit: An ab incarnatione Dmioni MCVI. in natali Domini, maximus conventus Principum Moguntinæ factus est, & paucissimis interjectis lineis; Principes seditionẽ vulgi timentes, ei (Henrico 3.) apud Ingelheim occurrunt, ibiq; multis modis commonitum, vel juxta alios, circumventum, ac coactum, insignia regni resignare, ac filio mittere *XLIX.* regni sui, post mortem patris, Imperii V. An. persuadent. Reversi ad filium optimates (quos modo 35
Principes, hîc optimates nominari percipis.) Imperialia deferunt, eumque primo à patre electum, per impositionem manus Apostolicæ sedis Legatorum, cunctorumq; electione *LXXXV.* ab Augusto Regem creant, anno ut dixi 1106. lib. 7. *c.* 17. rursum principes appellat, dum ait, anno Dominicæ incarnationis MCXXV. defũcto absque hærede Henrico Rege V. Principes Moguntiæ conveniunt, ibique habito de successore consilio, quatuor regni optimates, Lotharius Dux Saxonum, Fridericus Dux Suevorũ, Leopoldus Marchio orientalis, Carolus Comes Flandriæ, ad regnum designantur. Tamen Lotharius natione Saxo, patre Gebehardo, voto omniũ renitens valdè ac reclamans, ad regnum tractus &c. & iterum principes, lib. 7. *histor. c.* 22. nec nõ lib. 2. *c.* 1. *de gestis Friderici*: ibi nam id juris Romani Imperii apex, videlicet non per Sanguinis propaginem descendere, sed per Principum electionem Reges creare, sibi tanquam ex singulari vendicat prærogativa.) Aliquando etiam Princi- 36
pes Regni vocat, (hoc agit *lib.* 1. *c.* 16. de gestis Friderici Ahenobarbi Imperat. loco quem Wizendorffius allegavit. & iterum *eodem lib.* 1. *c.* 22, defuncto, inquit, Imperat. Lothario, &c. principes Regni, apud Galliæ oppidum confluentiam, ubi Mosella Rhenum influit, conveniunt, & de eligendo Principe consilium ineunt) Nonnunquam etiam Prima- 37
tes, *ut lib.* 2. *c.* 1. *de gestis Friderici*, ibi: cum de eligendo Principe primates consultarent. Atque has appellationes, ex locis Frisingensis, ab aliis adductis notavi, authorem enim ipsum ad manus non habui, spatiis exclusus iniquis, nunc colligam: Primores Regni, Primates, Principes, Prin- 38
cipes Regni, Frising. iidem sunt, qui optimates: Ad optimates eidem sunt Imperii Proceres, etiam illi, qui in classe septem Electorum non continentur, quod evidentissimè probatur eo textu, quem *ex lib.* 7. *c.* 17. *historici* adduxi. ergò iisdem appellationibus non καὶ' ἐξοχὴν, sed popula-

pulariter usus fuit, quod etiam connexio textuum alibi satis monstrare
39 viderur, præsertim si cum aliorum narratione examinentur. Exemplo sit locus *ex lib. 7. c. 49.* supra adductus, ubi maximum conventum Principum Moguntiæ factum esse scribit. Quominus autem principum nomen hic κατ' ἐξοχὴν enunciatum credam, ratio est, quod hic Conventus non septem Electorum tantum, atque ita particularis, sed totius Regni fuerit, ut loquitur Abbas Vispergensis, *citatus ab Onuph. Panuin. d. tr. de comit. Imper. c 6. (. apud Goldast. in polit. Imperial. part. 1 p. 24. n. 15.)* I-
40 dem Frisingensis *d. lib. 7. histor. c. 22.* scribit, Anno Domini MCXXVIII. defuncto in autumno sine Filiis Imperat. Lothario conventus generalis Principum Moguntiæ in proximo pentecoste indicitur. Quidã autẽ ex Principibus timentes, ne forte in generali Curia Henricus Dux, qui tunc præcipui, & nominis, & dignitatis, in regno fuit, per potentiam prævaleret, circa mediam quadragesimam, consilio habito, in oppido Galliæ confluẽtia, conventum celebrant, ibiq; Cunradum Imperatorem
41 Henrici Sororiũ &c. Regem creant. Si Wizendorffius hic non videt, vocem Principum generalẽ esse, cœcus est, aut caligat in sole maximo. lib. 2. c. 1. de gestis Frider. narrat Cunrado 3. mortuo An. 1152 3. Non. Mart. in oppido Francofurt. de immensa Transalpini Regni latitudine universum Principum robur convenisse. Paucis interjectis verbis, cõtinuata oratione addit, per Principum electionem Regem creari. ubi iterum generalem significatum à Frising. obseivatũ manifestò deprehendimus. Ejusdem notæ textus alios, ex eodem proferre; facillimæ operæ erit ei, cui authoris historiæ in promptu sunt.

42 Duodecimò, totum contextum, à §. cæterum. usque ad finem discursus, paucissimis verbis additis, & nõnullis omissis, feliciter transumpsit ex Arumæo. *Discurs. 1. ad A. B. thes. 6.* eo nõ nominato, scil: ut videretur ipse ex fonte Castalio bibisse, non ex profluente, & rivulis.

Horatius.

Dixerit insanum qui me, totitem audiet, atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.

FINIS.

